




K 0
2268







109. 11. a.





Q. D. B. V!
DISPUTATIO JURIDICA

De
**CITATIONE
JUDICIS INCOM.
PETENTIS,**

Quam

Summi Numinis Auspicio,
CONSENSU

MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS AD VIADRUM ACADEMIA,
PRÆSIDE

DN. JOH. PETRO Schielen/
J. U. D. & Profes. Publ, Extraord.!

In Auditorio Fctorum

Ad D. 21 August. A. O. R. MDCXCVII.
publicè ventilandam proponit

AUTOR

JOHANNES FRIDERICUS Fäger/
Münchenberg. March.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPORI ZEITLERI.

*Illustrissimo, Generosissimo atque
Excellentissimo Domino,*

**DN. DANIELI
LUDOLPHO**

DE

DANCKELMAN,

**SERENISSIMO AC POTENTIS-
SIMO ELECTORI BRANDENBURGI-
CO AB INTIMIS STATUS AC BELLICIS CON-
SILIIS, RERUMQUE BELLICARUM COMMIS-
SARIO GENERALI, DOMINO IN
Zehsen &c. &c.**

Domino ac Patrono suo Maximo

felicitatem perennaturam.

**KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE**

*Illustrissime, Generosissime, atque
Excellentissime
Domine Benignissime,*



Vemadmodum reversum prosperâ fortunâ, ac de felicitate Europæ immortaliter meritisimum ELECTOREM BRANDENBURGICUM Dominū Suum Clementissimū lætis omnibus subditi recipiunt, & TE membrum ejus præcipuum CONSILIARIUM STATUS ac BELLICORUM CONSILIORUM INTIMUM, iterum salvum teneant, impensè ac mirificè lætantur. Ita illa pro salute ARCHI-PRINCIPIS NOSTRI vota rata esse jubeat Deus; Inter has vero humillimas ardentessq; gratulationes quibus TE de reditu felici rebusque bene gestis prosequuntur, dum mea quoque vota Tibi nuncupare, Disputationemque præsentem, devotissimi in Te mei animi pignus humillimè offerre sustineo, tum exiguæ vitæ meæ ratio tenuitasque tum levidense hoc specimen, quo Academiae valedicere & ad aliud animum meum applicare volui, revocare & quasi retrahere me videntur. Nihilominus tamen cum mola falsa litare soleant, quibus thura non suppetunt, atque Dii, non quid, sed quâ mente quid offeratur, æstiment, post deinde sol non tam montium cacumina, sed & humiles

JOHANNES FRIDERICUS

les myricas radiis suis ornare ac fovere soleat, deniq;
tua Voluntas, qva in quoslibet bonos & Tibi deditis-
simos duceres, propensissima pateat, publice ac ubiq;
commendetur, credidi pietatem meam Tibi non fore
ingratam. Interpreteris igitur ausum hunc, qvo ad
Tuam gratiam mihi viam paro, meum benignissime
ac loco aliquo (qualiscunqve enim, dummodo apud
TE PATRONUM meum, abunde sufficiet) hoc qvod of-
fero, meumqve devotum Tibi animum esse finas, at-
qve me Tuo benevolo multumqve potenti affectu
complectaris mihi ac meo futuro rerum statui pro-
movendo adsis, qvi ad cineres usqve TE TUOSq; sub-
misise colam ac venerabor, voti hujus mei me com-
potem fore cum fama, qvæ de Tua benignitate longè
latèq; circumfertur ac notissima est, polliceatur; Ulti-
mo loco supremum Numen ut Te ad seros annos PA-
TRI PATRIÆ ac bonis omnibus incolumen servet, omni
felicitate beet, memoriam Tuam factis egregiis Tibi
partam perpetuò ac indefinenter vigere ac florere si-
nat rogo ac oro

Tuæ Excellentia
Illustrissime ac Generosiss. Domine
Patrone Maxime

Subjctissimus

JOHANNES FRIDERICUS Jäger.



I. N. F.

CAP. I.

De

CITATIONE JUDICIS INCOMPE-
TENTIS IN GENERE.

§. I.



I fidem datam homines
servarent, quot lites inter-
mitterentur ac cesarent, ? *Intrōitus.*
quàm egregiè Justitia ubiq;
observaretur? Nam funda-
mentum justitiæ audit Cice-
roni lib. 1. de Off. fides, eaq;
justitiæ soror salutatur ab Horatio.
Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. ult.
§. 1. per quam Germani no-
stri maximè clari fuerunt,
teste Tacito Annal. Hinc olim obligatio brevis, sed fides
maxima fuit, hodie obligatio longa, sed fides brevis est; de
quâ re jam Senec. lib. 3. de Benefic. cap. 15. dixit, utinam nulla
stipulatio emptorem venditori obligaret, sed fides.

§. II. At verò cum vix quicquam frequentius dici *An. lites*
soleat, quàm aliud esse promittere, aliud promissa serva- *sint licitæ?*
re, longè sæpiùs autem id in actum deduci videamus,
Parthen. Litig. lib. 1. c. 13. §. 25. seqq. & lib. 2. c. 1. §. 7. remediis
iis, quibus nostrum consequi possumus, utendum est &
litigandum, quod omninò injustum non est, si alio mo-
do

A

JOHANNES FRIEDRICH ZAGNER

do nostrum nancisci non possumus, nisi aliquis ex perfectionis ac virtutis studio cedere, suoque juri renunciare, quàm contendere malit. Conf. *Matth. 5. v. 39. & 1. Cor. 6. v. 4.* Ziegler. *in Dicast. proœm. n. 1. seqq.* Gregor. Tholos. *in Syntagm. 7. lib. 47. c. 1. n. 6.* Treutl. *Volum. 1. Disp. 12. §. 17. lit. A.* Pruckm. *Vol. 2. Conf. 16. num. 73.*

Quis judex litium?

§. III. Sunt quidem, qui putant, lites eas privatâ authoritate componi posse, & proinde hominibus licere suâ authoritate injurias sibi illatas vindicare, idque in primis juri naturali conveniens esse. Conan. *lib. 1. Comm. c. 6. n. 8.* Hinc Grot. *lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. cap. 20. §. 3.* cum quærit, cui jus puniendi competat, ait, *naturâ convenientissimum esse, ut fiat ab eo, qui superior est: hoc tamen omnino esse necessarium, naturam non demonstrasse: exinde sequi ab æque nocente æque nocentem puniri non debere.* Ex quo satis apparet, ipsum Grotium parùm ab eorum sententiâ, qui statuunt, cuique jus suum vindicandi competere, nisi æquè nocens sit. Commentatores ad Grotii dict. locum quidam non malè observant, aliud pœnam esse, aliud injuriæ illatæ reparationem. Simon. *ad dict. loc.* Sed hæc in re ne plus justo moremur, existimamus, privato homini jus suum vindicandi facultatem secundum jus naturæ non competere, nisi quando superioris copia non est, vel tota res magis in re suâ defendendâ, quàm privatim recuperanda consistit. Molin. *de J. & J. Tom. 1. tr. 12. Disp. 22. & Tom. 1. tr. 2. Disp. 100. num. 6.* Vasqv. *lib. 1. illustr. Quest. cap. 12. num. 3.*

An quis possit esse Judex in suâ causâ?

§. IV. Cum hoc jure naturæ jus civile Romanum optimè conspirat. Tot. *Tit. C. ne quis in sua causa jud. L. 14. C. Judex in de jud. L. 7. C. unde vi. L. 13. ff. quod met. caus.* ubi eleganter Marcianus, *Vim, dicit, fieri, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit.* Neque tamen jure civili pri-

privata defensio denegatur contra eum, qui vel vitam alicujus, *L. 3. de f. & f. vel ejus bona invadit. L. 3. §. 9. de vi armat. tot. tit. C. quando lic. unic. sine jud.* modò in terminis defensionis, quæ in continenti fieri solet, aliquis maneat. *L. 17. eod. L. 18. §. 3. de acquir. vel am. poss. L. 1. §. 8. ad L. falc. §. 2. de L. Aquil. c. 12. de rest. spol.* An autem dominus verus contra violentum possessorem, quem ex intervallo dejecit, audiatur, nunc non disputamus. *Conf. Struv. in Synt. f. Com. Exerc. 45. §. 110. Vallens. ad Decret. tit. de Ord. Cogn. n. 5. seqq. Zœs. ad Decr. de restit. spol. n. 10. seqq.* Quin imò tunc quoque jus civile defensionem privatam permittit, quando periculum in morâ, ut judicis copia non sit, cum melius sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. *L. 1. C. quando lic. unic. sine jud. Conf. L. 10. §. 16. quæ in fraud. credit. L. 4. §. 1. junctâ. L. 5. princ. ad L. Aquil. L. 9. ad L. Corn. de Sicar. Magnif. Dn. Rhode de periculo in mora. cap. 4. Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. cap. 1. n. 4. Pufend. de f. N. & G. lib. 2. c. 5. §. 4. Conf. Struv. de priv. vindict. §. 6. Perez. ad Cod. Tit. quando lic. unic. sine jud.*

§. V. Cum ergo privata jus suum persequendi facultas, nisi paucis in casibus, nobis non competat, sed illud, quod nobis debetur, publicè coram superiore petere debeamus quæstionis est maxime, coram quo superiore actiones institui validè possint, totusque Processus ritè peragi debeat. De casu, quando plurium potestas videtur ratione unius causæ concurrere, actum est ab Illustri Dn. Coccejo, p. t. Rectore Academiae hujus Magnifico, *fussissimè, & pro more accuratissimè in Disputat. de Concurf. plur. potest. &c.* Ex quo sequitur, si actor eum judicem adeat, qui pro judice non habendus, eum judicem esse privatum, scil. si ille suam potestatem vel extra territorium, vel intra illud non ritè exerceat, omniaq;

*Coram
quo judice
agendum?*

quæ apud eum fiunt, esse nulla. Hinc citationes emittuntur non tantum, ut de judicis jurisdictione constet, sed ut aliquis paratus ad sese defendendum accedat, quæ de re satis bene in Ordin. variorum locorum provisum est, vi quarum non sufficit reo genus actionis edere, sed omnia instrumenta eidem communicanda sunt, ut quàm paratissimus ad judicem accedere possit, quod ad abbreviandas lites maximè prodesse putamus, ne quàm plurimæ dilationes, prout fieri solet, postea sint concedendæ. conf. Gail. lib. 1. Obs. 53. n. 20. De citatione itaq; judicis incompetentis acturi generaliora quædam præmittemus.

Citationis
homonymia.

De citatione ad
Vallum
Josaphat.

§. VI. Citationem autem à citare, hoc verò à cingere vel cire descendere, vix quisquam in dubium vocabit. Ad Homonymiam spectat, quòd judex dicatur citare, & minister seu nuncius publicus; ita tamen, ut vis citationis à judicis potestate dependeat, jussumq; Judicis minister citando saltem exequatur, Vid. Erneuerte Ordnung etlicher Puncten. Tit. Wie ein jeder Cammerbott exequiren soll. cui citatus credere debet. cap. 29. extra de Appell. ibiq; Glosf. L. 2. Si quis in jus voc. Quæ occasione quæri potest, quid sentiendum de citatione à privato facta ad Vallum Josaphat, seu quando aliquis alterum ad tribunal Dei vocat vor Gottes Gericht / de quâ vulgò dici solet, citatum, si noxius fuerit, anni à citatione facta spatium non vivere. Habuisse id frequenter in ore Philippum Landgravium Hassiæ refert Hortleder. von Ursachen des Deutschen Krieges / Vol. 1. lib. 4. cap. 7. num. 71. Verùm quod ad nos attinet, dicendum videtur, citationem hanc privata autoritate factam ad vindictam Christiano, præsertim morti vicino indignissimam, (superstitionem autem vulgi ea de re esse ridiculam) nisi quatenus injuriâ illata Dei vindictæ absq; tamen vindictæ amore commenda-

mendatur, qui quandoque judicia sua mirum in modum exercet. Exempla, quæ hanc in rem narrari solent, lege apud Parthen. Litig. lib. 1. c. 1. n. 18. seqq. add. Herold. de Provocat. ad judic. in Vall. Josaph. Besold in Thesaur. Pract. lit. I. ins Thal Josaphat laden. Hering. de Appell. Citat. ad jud. in Vall. Josaph. Citare quoque; ille abusive dicitur, qui petit aliquem citare, & tum idem erit ac in jus vocare, quod in LL. Germ. exprimitur per manhire vel maniare. LL. Rip. Tit. 62. Besold. in Thesaur. Pract. voc. Citation. Jure Rom. veteri differentia erat inter citationem & in jus vocationem; Illa fiebat ad judicem, coram quo causa erat ventilanda; hæc etiam ad Magistratum & Præto-rem, à quo actio erat danda. L. 1. de in jus voc. L. 3. §. 1. Ne quis eum. Vultej. ad Inst. de Action. n. 54. Treutl. Vol. 1. Disp. 4. §. 1. lit. F. ibiq; Bachovius, Duaren. lib. 1. Disp. c. 7. Præ-terea in jus vocatio semel, citatio autem sæpius fiebat; promiscue tamen hæc duo usurpari à Justiniano asserit Vinn. in Comment. Instit. de Pæn. temer. litig. §. fin. n. 4.

§. VII. Mirum verò videtur, quòd jure veteri Ro- De in jus
mano unicuique privato permisum fuerit suum debito- vocatione
rem privata autoritate in jus vocare, adeò ut eum, si no- privata
luerit sequi, non tamen ex ejus domo. L. 18. ff. de in jus voc. Rom.
oborto quoque; collo in jus trahere potuerit arg. L. 4. §. 1. L.
13. de in jus voc. quorsum pertinentia apud Comicos ali-
osque leguntur multa. Conf. Plaut. in Rudente. Act. 3. Sc.
ult. Pænul. Act. 5. Sc. 4. & Sc. penult. Curcul. Act. 5. Sc. 2. Te-
rent. in Phormion. Act. 5. Sc. 8. Horat. lib. 1. Serm. Satyr. 9. Ma-
gnif. Dn. Petr. Schulz Disp. de Comparit. person. in jud. cap.
ult. §. 1. Rævardus ad LL. XII. Tab. cap. 5. Hoc verò pro-
miscuè licuisse negant Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disput. 4.
§. 1. lit. B. Vinn. in Comment. ad Instit. de Action. §. 12. num. 3.
violentamque raptionem ad viles personas vel vadimo-

nii desertores, de quibus apud Comicos *dd. ll.* ageretur, pertinere asserunt. Verum non tantum propter allegata Poëtarum loca contrarium verius esse videtur, sed *Lex XII. Tabb.* id quoque confirmat, cujus verba sunt: *Si in jus vocatus non it, antestator, igitur em capito, si calvitur pedemve struit manum endo jicito.* Godofr. *in fragm. LL. XII. Tabb. tit. 7.* Et si illud non satis ex *L. 18. de in jus voc.* apparet, sufficienter in *L. 21. eod.* traditur. Nec obstat, quod nimis durum fuisset, si prætor parentem & cæteras, quibus debetur reverentia, personas vi in jus vocari permisisset. Nam etsi saltem petiisset à Prætoe eis personis diem dicere, frustra fuisset, si non secutæ fuissent, & proinde imputare sibi debent, quod leniter vocatæ non ierint, aut vadibus caverint. Frantzk. *de in jus voc. §. 6. seq.* Hoc tamen postea sensum mutatum est à Prætoe, ut privatim quidem licuerit vocare; verum si reus non venit vel cavit non rapiebatur, sed puniebatur. *L. 2. §. 1. Si quis in jus voc.* Frantzk. *dict. tit. n. 20. 21.* Struv. *in Syntag. Jur. Com. Exerc. 5. §. 3. in fin.* Conf. Brisson. *de formul. & Sol. Pop. Rom. lib. 5. ab init.* & Obrecht. *de Jurisdic. lib. 3. c. 23. §. 7. seqq.* qui n. 5. Drama seu exercitium Academicum de in jus vocatione & Processu juris antiqui eleganter subjecit.

Ratio privata in jus vocationis.

§. VIII. Quod si autem de ratione hujus privatæ citationis & juris insolentis quæeratur, non alia videtur esse, quàm inviolabilis fidei sanctimonia, & odium eorum, qui eam non liberant. Fidem enim fallere grave est. *L. 1. §. 4. Depos. L. 1. pr. l. 25. de Constit. pec. L. 1. de Pact.* maxime apud Romanos Cicer. *lib. 2. Offic. Nulla res vehementius Rempublicam continet, quàm fides, quæ esse nulla potest, nisi erit necessario solutio rerum creditarum.* Inde etsi nihil magis à juris rationibus abhorreat quàm privata autoritas. Struv. *de Vind. privat. pass. supr. §. 3.* nec soleant LL. cau-

causam ipsius partis libidini, sed haud suspectæ judicis æ-
quitati committere. *L. 16. C. de jud. ut propterea etiam*
suspectum judicem recusare liceat. Ziegler. in Dicast. Con-
clus. 12. n. 2. 4. 7. Gvazzin. de defens. Reor. defens. 1. cap. 19. n. 1.
Tusch. Tom. 6. Conclus. 910. num. 1. Nihilominus tamen eo
favore ac beneficio eaque legum cura indigni visi sunt
illi, qui fidem non servant. Facile autem constat eos
fidem fallere, qui ejus vinculo debitoque suo se exsolve-
re vel aspernantur, vel quousque creditor eos in jus ire
cogat, morantur & sic revera fugientes sunt. *L. 13. §. 2. 3.*
C. de Jud. & latitare circa columnas dicuntur. L. 36. ff. de
reb. autorit. jud. possid. L. 7. §. 13. quibus ex causis in possess. eat.
Cujac. lib. 1. Obs. 13. Parth. Litigios. lib. 1. cap. 13. n. 24. seqq.
Etsi verò privata hæc in jus vocatio sanctissimè consti-
tuta fuerit, tamen cum facile in abusum trahi possit, tan-
tâ adversarii nostri in nos data potestate, tutius visum
fuit, judicis officio committi, qui à studio partium alie-
nus & utriq; æquus est.

§. IX. Citatio igitur, quæ nunc autoritate publica
fit, est principium actionum instituendarum & judicii.
§. ult. de pæn. tem. litig. Suscepti verò judicii initium vo-
catur litis contestatio. *L. 1. §. Auth. Offeratur. C. de lit. con-*
test. *Struv. Evolut. contro. ad S. J. Com. Ex. 5. qu. 1.* Descri-
bimus citationem, quod sit legitima rei ad judicem ejus
autoritate juris experiundi causa vocatio. *Dn. Coccej.*
Hypomn. Instit. de pæn. tem. litig. §. 4. Wesenb. in Parat. n. 13.
Dividitur citatio variè: alia est privata, de qua supra di-
ctum est, alia publica. Deinde est vel realis, quæ re-
gulariter fieri non potest, cum quasi executionis quæ-
dam sit species, nisi quando grave delictum est commis-
sum & aliquis præsumptionibus gravatus, ut fugæ sit su-
spectus. *Dn. Coccej. Hypomn. Instit. de pæn. tem. litig. §. 4.*
L. 10.

*Citationis
Definitio
ac Divisio-
nes.*

L. 10. §. 16. quæ in fraud. Credit. Marant. in Spec. de citat. n. 60. Hunn. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 4. §. 2. lit. C. Qv. 8. Vel verbalis, eaqve iterum alio sensu vel publica, quæ edictalis vocari solet; vel privata, quando quis viva voce vel literis citatur. Cap. 6. X. de dol. & cont. fit quoque alia citatio immediate à Judice, ad cujus jurisdictionem causa controversa pertinet; vel mediate per literas subsidiales, ut dicere solent, quæ ad alium judicem, in cujus finibus reus est, dantur. Aliæ divisiones in universalem vel specialem, in dilatoriam & peremptoriam videri possunt in Lauterb. Compend. Jur. tit. de in jus voc. Tholosan. Syntagm. Jur. Univ. lib. 48. cap. 2.

*Quis hic
sit Judex?*

§. X. Restat, ut paucis reliqua rubricæ verba explicemus. Et quidem judex est nobis hic non tantum, qui jure officii potestatem juris dicendi exercet. *L. 1. de jud. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 12. §. 3. lit. B.* sed omnis, qui vel jure proprio vel concessio publicam inter homines cognoscendi de causis controversis habet potestatem. Varias Judicum seu Magistratum Rom. species, & quæ ratione quilibet ab altero distulit, & de eorum officio nihil attingemus, ne in aliud thema incidamus; consuli possunt *Lips. de Magistr. Vet. Pop. Rom. Obrecht. de Jurisdic. lib. 1. cap. 9. Frantzk. Tit. de Senat. n. 1. & DD. ad L. 2. de O. 7.* Illud saltem omittendum non est, per Judicem nos tantum intelligere personam publicam, quæ jus dicere potest, ut excludamus arbitrum compromissarium, qui ex libero partium consensu eligitur, ut instar Judicis servato juris ordine lites arbitrio suo dirimat. *L. 1. 3. §. 1. L. 13. §. 2. de recept. arbitr. L. 81. de jud. Schneidew. in Comment. ad Inst. §. 1. de action. n. 32.* Ejusmodi arbiter per se nullum jus habet, quia est privatus, nisi eligatur; tunc autem non potest non esse competens, cum ex arbitrio

Incompetentis in genere.

bitrio partium eligatur, & ab iis probetur. ⁹ Quod ad
Aufregas, coram quibus causæ immediatorum tan-
quam in prima instantia in Imperio nostro tractari
solent Perillustr. Dn. de Rhetz in *Instit. Jur. publ. lib. 4.*
Tit. 2. §. 5. seqq. attinet, cum etiam per conventionem,
uti arbitri, fiant, etiam hic sub rubrica non continen-
tur, quia non magis possunt esse incompetentes, ac ar-
bitri compromissarii. Cæterum in eo tamen Aufre-
gæ differunt ab arbitris, quòd sint veri Judices lege da-
ti. Ord. Camer. *part. 2. Tit. 1. §. 2.* & in Rubr. *Tit. 2. 3. 4. 5.*
voce Richter. Illustr. Dn. Coccej. in *Jur. Publ. Prud. c. 32. §. 29.*
seqq. Quòd si autem Aufregæ sint ordinationis, hîc o-
mnino attendendum erit, num rite fuerint ordinati,
qui tamen non delegati seu Commisarii sunt, sed ve-
ri Judices lege dati scilicet, quando commissio auf die
Aufträge / petita est. Quando autem Commissio sim-
pliciter petitur, illi, qui dantur, sunt Judices delegati.
Dn. Coccej. *dict. loc. §. 31.* Commisarios autem seu Ju-
dices delegatos hîc comprehendimus, quia illi, nisi à
superiore alicujus personæ sint dati, incompetentes sunt,
cum plus juris habere non possint, quam ille habet,
qui eos dedit, ut, si ille sit incompetens, hi quoq; me-
rito incompetentes censeantur. Præterea & illud
addimus, nobis non de voluntaria jurisdictione esse
sermonem. Actus enim, qui ad ad hanc jurisdic-
tionem pertinent, etiam hodie à quocunque Judice ex-
pediri possunt, & hinc illi, quorum interest, aliquid
agi vocari possunt, qui sponte jam sequuntur. Cita-
tio autem, de quâ nos agimus, supponit aliquem invi-
tum, qui citandus & ad judicem vocandus est.

§. XI. Competens verò Judex, cujus in jure *Quis Ju-*
nostro passim fit mentio *L. pen. C. Si à non comp. Judic. dex com-*
B *tot. petens?*

tot. Tit. X. de foro comp. (competens appellationi Judex occurrit in *L. pen. ff. jud. solv.*) est, qui potestatem vel jurisdictionem in reum citatum habet. Marant. *in Spec. aur p. 4. Dist. 8. n. 1.* Dicimus in Reum, quoniam Reus debet Judici citanti subjectus esse, etsi sub alio iudice sit actor. Nam actor sponte & ultro adit iudicem, ejusque officium implorat, ut hinc in eum nulla opus sit potestate: Reus verò invitus respondet, & causæ controversæ decisionem averfatur, hinc citatione jubetur comparere, ita ut, si non compareat, in eum executio fiat. Quomodo autem compelli possit à Judice, si ei nulla jubendi cogendiq; competeret potestas. Dn. Coccej. *de fundat. in Territor. & plur. loc. conc. jurisd. Tit. 4. num. 1.* Unde illa regula juris nata est, quòd actor dicatur sequi forum rei. *L. 3. C. ubi in rem actio.* Et quamvis casus videantur esse, ubi reus quasi videtur petere citari actorem, hoc tamen non regulariter, sed vel ideo fit, ut, qui egit, continuare debeat, quod cœpit. *Auth. Qui semel C. Quomod. & quando Judex L. 13. C. de Jud.* Vel ut is, qui aliquem diffamavit, eum reum conveniat *L. diffamari 5. C. de ingen. manum.* Vel quando reus vult agere actorem, cum aliàs ipsi exceptio aliqua peritura sit. *L. Si contendat 28. ff. de Fidej.* Vel denique quando reus in iudicio aliquid agere debet uti e. g. Si probatio exceptionis ei injuncta sit, & testes producere velit, ad quod citandus est actor: Hæc sufficiant de verborum explicatione, quæ omissa offendere nos potuissent, agemus paucis de Definitione citationis ab incompetente Judice factæ reali, esto igitur

CAP. II.

QVID SIT CITATIO JUDICIS INCOM-
PETENTIS.

§. I.

Describimus nunc Citationem Judicis incompe- *Descri-*
tentis, quod sit actus, quo Judex eum, in quem *ptio cita-*
non habet potestatem, juris experiundi causa *tionis Jud.*
vocat. *incompet.*

§. II. Ex quo apparet, nos non acturos esse prin- *Qua vitia*
cipaliter de aliis vitiis citationis, quod vel minus rite *citationis?*
concepta sit, uti quando aut nomen citantis judicis
vel partis, vel citandi; aut causa, aliaque omissa; vel quod
non rite insinuata, ejusque executio facta sit &c. Conf.
Vant. de Nullit. Tit. 10. n. 48. seqq. & pass. Scaccia de Ju-
dic. cap. 32. n. 10. seqq. Schrad. de Feud. p. 9. c. 2. n. 37. Age-
mus tantum de vitio, quod citationi objici solet pro-
pter defectum jurisdictionis citantis, qui incompe-
tens dicitur.

§. III. Varias ob causas est Judex incompetens, *Quot mo-*
seu qui nullam potestatem in reum habet, scil. ratio- *dis judex*
ne personae, rei, causae, temporis, loci, tot. Tit. C. Si a *dici possit*
non compet. jud. Salicet. ad L. 1. d. tit. n. 2. Ratione per- *incompe-*
sonae, quando reus jurisdictioni judicis non est subje- *tens?*
ctus, quod iterum duobus modis accidere potest:
Velenim Reus est extra territorium, vel intra territori-
um, sed certa ex causa istius loci potestati exemptus.

§. IV. Jure nat. & Gent. Summam, vicariam- *Cujusc. ju-*
que Dei potestatem toti generi humano origine *dicis pote-*
competiisse, cum satis certum sit, exinde sequi- *stas intra*
tur, quia illud potestatem suam ubique gentium & *territori-*
um exer- *cenda est.*
B 2

locorum exercere non potuit, quòd illa potestas cer-
 to modo dividi debuerit. Diviso itaque genere hu-
 mano cujusque partis potestas ad certum numerum per-
 sonarum restricta non fuit, nec id fieri potuit, sed perinde
 uti totius generis humani potestas finibus orbis inclusa
 fuit, ita post divisionem uniuscujusque membri pote-
 stas finibus cujusque partis orbis quasi circumsepta
 fuit, ut quicumque in eam terrarum parte degeret, ejus
 potestati esset subiectus, quicquid alii proferant, soci-
 etatem ac propterea civilem potestatem vel ex con-
 ventione, vel ex metu, vel ex amore initium cepis-
 se. Quod cum de summa potestate manifestum sit,
 nunc ulterius addimus, quia summa cujusque terri-
 torii potestas ipsa seu princeps commodè potestatem
 suam in omnibus suis locis exercere non potest,
 principem Magistratus eis præfecisse & ea propter
 cujusque Magistratus potestatem etiam ad certa loca
 restrictam esse, ut in eos, qui intra illos terminos non
 commorantur, omnis ejus magistratus potestas ces-
 set *L. f. de Jurisd.* qui saltem intra territorii fines terrendi
 i. e. submovendi jus habet *L. 239. §. 8. d. V. S.* Concludimus
 igitur omnes intra illud territorium viventes, & na-
 turaliter istius loci Præfecto esse subiectos, donec pro-
 betur, illius potestatem quoad hanc vel illam perso-
 nam cessare, seu hanc personam exceptam esse. *Add.*
infr. cap. 4. §. 1. seq. Quicumque ergo perpetuò se man-
 surum in aliquo loco constituit, qui civis dicitur, aut
 qui saltem quoad aliquod tempus in aliqua regione
 vivit, ille ipsius loci Magistratui parere debet, & ei
 subiectus est, cum eam tamen differentiã, quòd ille ex
 omnibus causis, quamdiu civis est; hic autem, quam-
 diu in loco isto est, judicem illum agnoscere debeat.
 Atque

Atque ita Magistratus civem suum ex alio territorio citare poterit, neque citatio incompetentis iudicis appellanda erit. Quo autem modo illa citatio instituenda, peti potest *ex cap. ult. §. 10.*

§. VI. Subjicimus igitur casum istum, si alicujus mercatoris institor hujus loci alibi deliquerit, is autem hic conveniatur & citetur, num illa citatio dici possit esse facta ab incompetente Iudice? Fundata generaliter est Iudicis potestas in personâ hâc, quæ intra ejus jurisdictionem degit, an autem ratione hujus causæ? Videtur quod sic, quoniam hoc in loco operas suas locavit, nec mox recessurus hîc commoratur. De criminibus hîc quidem conveniri posset ex ea ratione, quod Reus criminis, ubicunq; reperitur, puniri possit. *L. 1. 2. C. ubi de Crim.* non autem ex privatis delictis non magis, quàm ex Contractibus alio in loco celebratis. Nam non sequitur, quod is domiciliû hoc in loco constituerit, licet per annum vel amplius operas suas alicui locaverit. Verùm fortè exinde colligendum est, tum saltem iudicis potestatem cessare, quando ex privatis delictis civiliter agitur *L. 7. §. 1. de injur.* Quoniam autem ratione eorum delictorum etiam criminaliter agi potest. *L. fin. de priv. delict. §. 10. & fin. de injur. L. fin. ff. eod.* an hoc modo fundata est istius iudicis potestas ratione hujus causæ. Negamus id, nam de criminibus tantum dicitur, quod agi possit, ubi reus reperitur, crimina autem opponuntur privatis delictis. *L. 2. §. 8. de Vet. Fur. enucl. L. 17. §. 18. de Ædil. Edict. L. 131. §. 1. de V. S. L. 1. de publ. jud.* Et licet in *L. fin. de injur.* dicatur, quod ex iis delictis *criminaliter & extraordinarium* agi possit, & in *L. fin. de priv. delict.* addatur, quod *in crimen subscribere* debeat, qui ex maleficiis extra ordinem

An ex privato delicto agi possit, ubi reus reperitur?

dinem agere velit, non tamen exinde colligendum, quod delicta privata, quando criminaliter agitur, quoad omnia criminibus comparanda sint, alias enim v.g. ratione damnorum &c. Magistratus inquirere vel omnes de populo agere possent, quod nemo unquam statuit. Saltem poena criminalis solet infligi, sed quoad caetera, & sic etiam quoad forum, diversum inter ea delicta manet jus. Poterit etiam, quid sit extra ordinem agere, satis colligi ex Tit. de extraord. Crimin. ad quem conf. Cujac. in Paratitl. Struv. in Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 48. §. 13. Quamvis autem praedicta sententia communis sit, de jure tamen ad poenam etiam ex privato delicto in loco, ubi reperitur, reum conveniri posse, defendi potest.

Judex in-
competens
ratione
rei con-
troverse.

§. VII. Non autem solummodo citatio est incompetentis judicis, si ille nullam potestatem habet in personam, sed etiam, quando persona ei est subjecta, sed non quoad rem petitam L. 1. C. Si à non compet. Sic in hac urbe, etsi cives Academici regulariter coram Rectore Universitatis conveniendi sint, actio tamen si respiciat rem extra urbem sitam, non coram eo, sed coram Magistratu oppidano institui debet, & sic citatio Rectoris esset Judicis incompetentis. Vid. Vergleich der Universität mit dem Rath vom 20. Maj. 1617. §. Was aber an unbeweglichen Gütern &c.

Judex in-
competens
ratione
causae.

§. VIII. Sic quoque Judicis incompetentis citatio est, si reus quoad causam controversam ei non est subjectus. Quando igitur aliquis delegatus est, ut de proprietatis causam cognoscat, ille non ad hanc, verum ad possessionis causam cognoscendam citet, citatio est facta ab incompetente iudice. L. 3. C. Si à non comp. Brunnem. ad dict. L. 3. Ita Judicem, cui merum imperium

non

non est concessum, reos criminum citare non posse, licet in ejus sint territorio, nisi aliquando ad id, ne effugiant, notissimum est. Non minus ille iudex, qui ad tempus datus, & Magistratus cujus officium finitum est, incompetens est, nec citare amplius potest, licet antea & persona, res, causa ad eum pertinerint. Non magis autem potest dici iudicis incompetencia, quam si reus citandus est extra territorium ejus, nam tunc secundum notabilem *L. fin. ff. de Jurisdictione*. impunè ei jubenti non paretur, quia tum iudex secundum suam jurisdictionem uti Imperator in § 4. de Attil. tut. loquitur i. e. secundum suum territorium. Vinn. ad dict. §. 4. n. 3. non imperat.

§. IX. Variis itaque ex causis iudex incompetens fit, eæ tamen omnes respexerunt reum. Nam si ille vel quoad causam, vel quoad tempus, vel quoad locum iudicis potestati non est subjectus, impunè ei citanti non paretur, licet aliàs sua iudici jurisdictione disputari non possit. Id tamen hic quoque omittendum non est, sæpe jurisdictionem à privatis prorogari posse, modo iudex, cui aliquis se vult subicere, jurisdictionem habeat *L. 3. C. de jurisd. omn. judic.* & tum, licet iudex, qui citavit, per se sit incompetens, eum tamen per prorogationem partis fieri competentem ac proinde citationem impugnari non posse, notum est *L. 1. C. eod. L. 18 ff. de jurisd.* Struv. in Syntag. Jur. Comm. Exere. 4. §. 59. Hinc ratione creditoris non inutilis cautela est, ut debitorem suum foro suo renunciare curet, clausulamque instrumento addat, quòd debitor promiserit, ipsum ratione debiti *ubicunq; locorum & coram quocunq; iudice velle respondere.* Hoc enim casu, ubicunq; reus debitor est, ibi ab ejus loci iudice citari poterit

Judex incompetens dicitur ratione rei conventi.

De renunciatione fori.

terit *L. pen. C. de Pact.* Dn. Stryk. *de Caut. Contr. Sect. 1. cap. 5. §. 19.* Ferrar. *in Pract. form. declin. jurisd. Gloss. 1. n. 2. 3. pag. 79.* non tantum ideo, quod foro suo renunciaverit, sed etiam, quod Jurisdictionem cujusque Judicis prorogaverit, modo, uti supponimus, Jurisdictio prorogari potuerit, quod tunc non est permis- sum, quando Jurisdictio non in favorem privatorum, cui demum hi renunciare possunt *L. 6. C. de LL.* sed in gratiam superioris vel ordinis &c. est concessa. Gail. *Lib. 1. Obs. 40. n. 9. 10.* Fachin. *lib. 1. Contr. cap. 61.* Zanger. *de Excep. part. 2. cap. 1. n. 127.* Eleganter Dn. Coccej. *in Disp. de Imperio in Parem §. 31.* Putant quidem DD. quod generalis renunciatio fori non sufficiat v. gr. quando debitor pollicetur, se velle coram quocunque Judice respondere; nam tum intelligi saltem Judicem quemcunque competentem asserunt, Mynsing. *Lib. 1. Obs. 88.* adeo ut si quis ex ejusmodi clausula generali coram incompetente Judice conveniatur, ideo appellare possit. Fabrit. *ad Myns. Cent. 1. Obs. 88. in fin.* Verum cum conventiones ita explicare soleamus, ut aliquid actum sit *arg. L. 59. de V. S. L. 106. de Leg. 1.* Pruckm. *Vol. 1. Conf. 42. n. 5.* hinc ejusmodi clausula frustra plane esset addita, quia alias absque ea reus coram quocunque Judice competente conveniri potuisset, propterea nobis videtur etiam ista clausula generalis ad fundandam Judicis incompetentis Jurisdictionem ac citationem sufficere. Ad tollendum autem omne dubium consultius est addere, quod debitor velit coram quocunque Judice alias incompetente respon- dere.

An superi- or sit Ju- §. X. Ita generaliter constat, quando citatio ab incompetente judice sit facta, multos autem speciales

les casus addere possemus, si id nobis nimis longum non videretur, sed maturandum nobis est. Superiori seu Principi in omnes in territorio viventes potestatem competere clarum est, an ne autem ipse ex jurisdictione inferioris Magistratus aliquem citare, & num citatus quasi ab incompetente Judice citationem emissam impugnare poterit? Equidem utriusque subiectus est, illi ut summæ potestati; huic ut Magistratui à superiore constituto. Et sanè quando Princeps jurisdictionem concedit, eam subordinatè concessisse videtur Lauterb. *in Comp. Jur. de jurisd. p. 27.* ad quem conf. Dn. Stryk. *in Annot. h. e.* ut causa prius coram Magistratu cognosci & deinde ad eum devolvi possit, quod maxime in favorem civium constitutum, ne causam unius sententiæ incerto eventui subicere necesse habeant Scaccia *de Appellat. qv. 3. art. 1. n. 1.* & vocari solet beneficium primæ instantiæ. Conf. Carpz. *Lib. 2. Resp. 11. tot.* In Marchia per Recessus Provinciales hoc beneficium primæ instantiæ denegari nemini solet, *Recess. Provinc. de anno 1653. §. 20.* cujus verba hæc sunt: *Wey dem Privilegio prima instantie sind Wir die Prelaten/ den Adel / und den Senat in den Städten allerdings zu schützen in Gnaden erbötig / und soll jede Sache zupoderst an die unmittelbare Obrigkeit remittiret / und von derselben keine causa, es geschehe denn in casu denegata justitia, liederlicher weise advociret / sondern die Sache nicht angenommen / & simpliciter ad forum competens & immediatum judicem remittiret werden / wie solches den vorigen Landtages Recessen ausdrücklich gemäß ist &c.* Unde fluit, quod hoc modo concessa jurisdictione citatus à superiore regulariter opponere exceptionem primæ instantiæ, & sic

dex in-
compe-
tens rati-
one ejus,
qui infe-
riori Ju-
dici subje-
ctus est?

Benefici-
um prima
Instantie.

C

judi-

judicium superioris citantis declinare possit: Si tamen justa causa Principi videatur, cur ipse in causa velit cognoscere, citationi ejus parendum, quamvis non soleat facile beneficia à se data civibus auferre, ac contra Leges à se latas venire §. *fin. Inst. Quibus mod. test. infirm. L. 4. C. de Leg.* Quando autem Judex inferior justitiam protrahit vel planè denegat, eo magis superior causam avocare potest ac solet ad instantiam querentis partis Ord. Cam. Part. 2. Tit. 26. Gail. lib. 1. Obs. 28. num. 2. & Obs. 41.

Judex competēs, qui se competitentem esse ignoret, citare possit? §. XI. Quid autem statuendum, si quis judex sit verus ac competens, ipse autem se competentem ignoret & citet, num erit citatio incompetentis Judicis? DD. communiter dicunt, omnia quæ ita à Judice geruntur, esse nulla Scacc. *de Sentent. & re judic. Glos. rat, num 7. Quest. 3. Lim. 2. n. 28. Ziegler. ad Lancell. Instit. Jur. Can. lib. 3. tit. 1. §. 15. ad verba: Legitimè constiterit.* Vix ejusmodi casum dari posse quis autemet, sed Ziegler. *d. l.* talem proponit, qui facile contingere potest: plures Judices dati sunt cum clausula *Quod si non omnes, & c.* & unus revera impeditur, quando reliqui, qui impedimentum istius ignorat, soli procedunt, ea omnia nulla esse dicuntur; Sicut enim, uti ex sequentibus patebit, totus processus est nullus, quando ex post facto apparet, Judicem fuisse incompetentem, ita etiam, si competens fuerit, si tamen id ignoraverit, nihil valebit. Quod si autem aliquis Judex revera incompetens v. g. ratione causæ sit, publicè tamen ratione ejusdem causæ pro competente habeatur arg. *L. 3. de Off. Prat.* citatio ejus omniaq; reliqua acta propter utilitatem partium & publicam valere existimamus. Conf. Ferrar. *in Pract. Form. Declin. Jurisdict. Glos. 1. n. 7. p. 74.*

§. XII

§. XII. Ultimo loco subjicimus Judicem competentem fieri posse incompetentem, & hinc citare non posse in posterum, non tantum quando causa est advocata, sed etiam quando officio suo functus est, sententiamque dixit, à qua appellatum fuit, ut Judex à quo merito quiescere debeat, quæ dum plana sunt, non prolixius exponemus, sed qui effectus citationis incompetentis sint, videbimus.

Quando
judex com-
petens fi-
at incom-
petens?

CAP. III.

De

CITATIONE JUDICIS INCOMPET.
EXTRA TERRITORIUM.

§. I.

Citationem validam ac rite Marant. *in Spec. aur. part. 6. membr. 11. num. 63.* Wesenb. *in Paratitl. ad ff. de in jus voc. num. 13.* emissam, quæ omitti non potest, etsi adversarius in judicio præsens sit Mynsing. *lib. 2. Observ. 91. & lib. 6. Observ. 6. n. 8.* Scacc. *de Judic. lib. 1. c. 88. n. 1.* Coler. *de Proc. Exec. part. 3. c. 7. num. 3.* multos effectus producere, passim à DD. traditur. Etenim non tantum id operatur, quod citatus comparere debeat. *L. 2. & tot. tit. Si quis in jus voc.* Myns. *lib. 5. Obs. 86. n. 2.* Frantzk. *ad ff. d. tit. sed &*, quod eo, non comparente, in contumaciam procedi possit. Inducit ea quoque litis pendentiam. Menoch. *arbitr. jud. Quest. cas. 202. num. 8.* Tusch. *Concl. 262. lit. L.* Præventionem *L. 19. de Jurisdic. L. fin. C. de in jus voc.* Hillig. *ad Donell. lib. 17. c. 18. lit. E.* interrumpit præscriptionem *L. 2. de Annal. except. L. 7. & fin. C. de Præscript. 30. annor.* Carpz. *in Jurispr. For. part. 2. Const. 6. Def. 4. seqq.* Perpetuat mandatarii

Effectus
citationis
legitima.

tarii Jurisdictionem *L. 6. de Jurisdic. cap. 20. de Off. deleg. Clem. 2. ut lite pendente. Actiones L. fin. C. de Praescr. 30. vel 40. ann.* Vitium litigiosi non tantum in realibus, sed etiam in personalibus, si contradictio rei accesserit, inducit *Ferrar. in form. Resp. rei convent. vers. Exceptionem litis n. 3. Christin. Vol. 4. Dec. 75. n. 6. Tulden. C. de litigios. n. 1. seqq. aliosque effectus habet, de quibus consuli potest Scacc. de Judic. lib. 1. c. 64. n. 11. Cothman. Vol. 3. Respons. 3. n. 14. Wesenbec. in Paratit. de in jus voc. num. 13. in fin. ibique Hahn. Bocer. 6. Disp. 3.*

Citatio facta extra territorium est nulla.

§. II. Quoad effectum obligationis, ut reus compareat, hic distingvimus, utrum reus citatus plane sit extra territorium citantis, num intra aliud. Inter hæc duo enim maxima est differentia, de hoc casu cap. seqq. de illo agemus hoc loco. Citatio igitur judicis, qui extra jurisdictionem suam aliquem citat, plane nulla est. Hoc non tantum ex dictâ *L. fin. ff. de Jurisdic. fati* apparet, in qua dicitur: Ejusmodi judici impunè non parere nos posse, impunè autem id non faceremus, si re ulla periclitaremur: sed etiam inde fati deducitur, quoniam ejusmodi Judex citans extra territorium pro privato habetur *L. 3. ff. de Offic. Presid. Köppen. part. 1. Dec. 43. n. 4. Pauermeister de Jurisdic. Lib. 1. c. 25. n. 41. seqq.* Uti ergo privato in privatum seu pari in parem nulla est potestas, ita nec jubere ejusmodi Judex potest, ut citatus se coram eo sistat *L. 13. §. 4. ad Scitū Trebell. L. 4. in fin. de recept. arbitr. L. 14. pr. de Manum.*

Nec ita citatus tenetur comparere ac se excusare.

§. III. Quoniam itaq; ejusmodi Judex nihil imperare potest, & quicquid imperat, alios non arctat, hinc sequitur, eum, qui ab incompetente Judice citatus est extra territorium, nec comparere, quin nec se excusare debere. Nam quoniam naturali ratione manifestum

nifestum est, neminem jus dicere in alio territorio, neminem in alterius territorio jubere aliquid posse, citatus hoc opponere non tenetur. Quicquid enim notorium est allegari non debet, quia id judici cognitum esse debet, facta autem *L. 16. C. de Probat.* allegantur & judici incognita, & ita probanda sunt, quoties in dubium vocantur *L. 1. §. 12. de Oblig. & Act.* *Wesenbec. in Paratitl. de Probat. Coras. Lib. 4. Misc. 20. num. 3. Myns. Cent. 6. Obs. 3. n. 3.* Non autem jus probari debet. *L. 2. ff. de Jur. fact. ignor.* quod nosse judex ac curia dicitur, nisi quando ratione ejus quæstio facti incidit, quod maximè in consuetudine & statutis obvenire solet. *Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 28. thes. 8. seqq.*

§. IV. Adeò certum est, citationem Judicis incompetent. extra territorium esse nullam, ut nec in contumaciam contra emanentem procedi possit. Potest quidem aliàs Judex suam jurisdictionem defendere & in eum, qui istam contemnit, animadvertere. *L. 2. §. 1. Si quis in jus voc. L. 5. de Judic.* modò ipse jurisdictionem habeat, quod enim aliquis non habet, illud nec potest defendere. Hinc in *d. L. 2. dicitur à competente Judice mulctà pro jurisdictione Judicis damnandum esse*, qui autem extra fines territorii aliquem citat, manifesto est judex incompetent & hac ratione mulctam indicere non valebit. Imò quia ille, qui ritè citatus non comparet, habetur pro contumace seu pro tali, qui judicem contempsit, ac proinde puniendus est, sequitur, quòd nemo tanquam Judex contemni possit, nisi qui Judex est. *L. 53. §. fin. de re judic.* Qui autem aliquem extra territorium suum citat non est Judex, sed privatus, qui citare non potest, ut eapropter ejus jurisdictionis, quæ nulla est violata dici non possit. *Brunn.*

Nec in contumaciam ejusmodi citati agi potest.



in Proc. Civ. c. 4. §. 1. Hillig. ad Donell. lib. 23. cap. 8. lit. E.
Marant. in Spec. part. 6. memb. 2. n. 1.

Nec quod
talis ju-
dex pro-
nunciavit
pro sen-
tentiâ est
habendū.

§. V. Præterea assertio nostra, quâ citatio Judi-
cis incompet. extra territorium facta dicitur nulla,
ampliatur, quòd quicquid ejusmodi Judex in causa
principali definierit vel judicaverit pro sententia non
fit habendum. Sententia enim ab eo fertur, cui jus ju-
dicandi fuit. L. 1. §. 12. ad Scutum Tertull. Quando autem
quis inter eos jus dicit, inter quos jurisdictionem non
habuit, id pro nullo habetur nec sententia est. L. 1. §. 2.
quod quisq. Juris. L. 2. §. fin. de Pæn. L. 4. §. 6. de re jud. Vant.
de Nullit. Tit. 9. num. 3. Quid quòd sententia ferenda sit
causâ cognitâ. L. 4. C. de Sentent. & interloc. cognitio
verò non nisi ab eo, qui jurisdictionem habet, fieri
possit, ut adeò propter defectum judicii sententia non
valeat. tot. tit. C. Si à non compet. Judic. Zang. de Except.
part. 2. c. 4. num. 2. Ac proindè cum non sit sententia,
nec unquam res judicata fieri poterit. L. 1. §. fin. ad Sc.
Tertull. Godofr. ad L. 1. de re judic. lit. M. quia senten-
tia, à qua intra decem dies non est appellatum, in rem
judicatam abire dicitur, quòd autem ab incompet. Ju-
dice extra territorium statuitur, non est sententia, &
sic nec autoritatem rei judicatæ habere potest.

Cum Jure
Civil. con-
venit hâc
in re Jus
Can.

§. VI. Cum igitur satis probatum sit, Judicem in-
comp. nec naturaliter, nec Jure Rom. pro Judice ha-
bendum esse, nunc addimus, quòd idem Jure Canon.
cautum sit, prout hoc aperte per Clem. fin. de Sent. &
re judic. evincitur. Nam cum Henricus Imp. Rom.
Robertum Siciliæ Regem citasset & Roberto emanen-
te, sententiam nihilominus tulisset, Pontifex Rom. re-
scribit, quòd & citatio & dicta sententia omniaque
fuerint nulla, nullusque exinde effectus oriri potuerit,
Quod

Quod utique in thesi verum est, scil. nihil valere, quod à Judice incompet. cœptum vel factum est, in hypothesi verò valdè errat Papa, dum vult Regem Sicil. esse Vasallum & hominem Ligium Ecclesiæ Rom. & proinde Imperatorem Regem illum tanquàm extra terminos sui imperii citare non potuisse. Hoc enim aliter se habere & Siciliam Romano Imperio accessisse & ad illud pertinuisse, ex Juris publici conditorum scriptis peti potest, & breviter ac nervosè ex Illustr. Coccej. *Juris Publ. Prudent. c. 6. n. 21.*

CAP. IV.

DE

CITATIONE JUDICIS INCOMPETENTIS
INTRA TERRITORIUM.

§. I.

Actum fuit de effectu citationis judicis incompet. *Connexio.*
extra territorium simulque probatum, eam planè nullam esse, nullosque effectus producere; quid igitur sentiendum de citatione Judicis incompet. intra territorium. Fieri enim potest aliquem esse quidem intra fines jurisdictionis, minimè tamen isti jurisdictioni subjectum, & ea propter si is citerur, longè aliud jus erit hoc in casu, quam fuit in casu præcedentis capitis.

§. II. Solent verò illi nomine exemptorum venire, qui ordinario judici loci non sunt subjecti, & vari generis esse possunt. Sic novimus jure quoque civili, Legatos coram ordinario judice litigare non debere, sed privilegium revocandi domum habere, *De his, qui privilegium forum habent.*
ne occasione litium à munere publico obeundo retrahantur *L. 2. §. 4. L. 8. de Judic. ibiq. Brunn. §. 1.*

§. III.

§. III. Eodem modo peculiare forum sortiuntur milites, de quibus Juvenalis Satyr. 16.

*Legibus antiquis castrorum & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul à signis: Justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite &c.*

Hi igitur tam in causis civilibus quam criminalibus, militaribus vel communibus coram suis Ducibus conveniendi sunt *L. f. C. de re milit.*

§. IV. Idem obtinet in militibus sacris seu Clericis, qui non nisi coram Judice Ecclesiastico regulariter conveniri debent *Gail. Lib. 1. Obs. 37. n. 1.* adeo, ut si aliquis Clericum coram Judice Laico actione pulsare vellet, is jure & Judex judicandi potestate caderet *Auth. Statuimus C. de Episc. & Cleric.* Et cum hoc privilegium toti ordini concessum sit, nec prorogatio nec renunciatio fieri poterit, maxime cum id Juris publici sit, cui partes derogare non possunt *L. 38. de Pact. Gail. Lib. 1. Obs. 40. n. 8.* Quam plurima sunt alia singularia fora ut Vasallorum, *Illustr. Coccej. in Hypomn. feud. Tit. 9. §. 7.* Professorum, Studiosorum, *Auth. habita C. Ne filius pro patre.* Eorum, qui exercitiis Equestribus operam dant, Publicanorum, similibusque, qui Aëriis, tributis præfunt, quæ nunc tanquam nota supponimus. Ita Gallis in Marchia viventibus peculiare Judices ferè in omnibus locis, ubi aliquis eorum numerus est, constituti sunt, ut proinde illi ordinariæ jurisdictioni exempti sint.

Quid operetur citatio incompetentis

§. V. Quoties jam Judex alicujus territorii eum citat, qui intra illud quidem est, sed privilegio alioque jure ejus jurisdictioni exemptus est, id non magis, quam alia incompetentis citatio valebit. Est tamen inter hæc

hæc ea differentia, quando reus citatus extra fines territorii Judicis est, is nullo modo comparere tenetur cap. præced. Quando verò is vocatur, qui intra territorium reperitur, sed privilegio ordinariæ jurisdictioni exemptus est, tum rectè DD. distinguunt communiter, num illa exemptio notoria sit, an dubia? Si notoria est, nullo modo citatus tenetur comparere, quia citatio à privato facta citatum non obligat ad comparendum cap. præced. *L. fin. C. de exhib. reis. parere ibiq; Bartol. & Bald. Marant. part. 6. tit. de citat. num 51. non tenetur;* hic opus est probare seu allegare exemptionem seu privilegium, cum sit notorium; notoria verò probatione non indigent. arg. *L. 1. de restit. in integr. Barbof. in thes. loc. comm. lib. 12. c. 21. Axiom. 3. ibiq; DD.*

tis Judicis intra territorium.

Qui notorie privilegium forum habet comparere.

§. VI. Quando autem exemptio citandi est dubia, tum citatus comparere & non tantum privilegium suum allegare, sed etiam probare debet. Sufficit enim fundatam esse generaliter citantis jurisdictionem in omnibus personis intra territorium ejus existentibus, qui verò se exemptum credit, in iudicium venire, iudiciq; fundatam intentionem habenti exceptionem suam opponere ac probare debet. Ostenditur id ex *L. 5. ff. de Judic.* quæ docet, eum, qui ex alienâ jurisdictione ad Prætorem vocatur, venire debere, cum *Prætoris sit estimare, an sua sit Jurisdictio*, adeoq; casus supponitur, quando de Jurisdictione dubitatur. Dici quidem posset *cit. L. loqui de casu*, ubi aliquis extra territorii fines vocatus est, maxime quia de eo agitur, qui ex alienâ jurisdictione vocatur. Verum verba finalia dict. *L. probatum* dant contrarium, nempe Prætorem vocasse aliquem, qui se privilegio aliquo tutum credidit: quin loquitur etiam *d. L. non de*

In dubio aliquis comparere & privilegium fori allegare debet.

D

Juris-



Jurisdictione Provinciarum, sed Urbis Romæ, ubi Prætor fundatam habuit jurisdictionem, hinc legatos cæterosque, qui revocandi domum jus habent, in ea causa esse inferitur, ut in jus vocati veniant ac privilegia sua allegent. Clariùs autem videtur adhuc disponere hac de re *L. 2. pr. Si quis in jus voc.* Nam ex quacunque causa aliquis ad eum, qui Jurisdictioni præest, vocetur, venire debet, *ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictio ejus sit?* dubia ergo debet esse jurisdictio: Si verò aliquis extra jurisdictionem vocetur, non opus est, ut veniat cum jam constet & sciatur, citantis jurisdictionem non esse *Carpzov. P. 1. C. 3. def. 11. Gail. Lib. 1. Obs. 48. n. 8. seq. & quos allegat DD.*

Effectus citationis. J. J. intra territorium factæ.

§. VII. Quod si ergo ille, qui intra terminos jurisdictionis constitutus est, in quo fundata citantis est potestas, non compareat, qualem effectum ejusmodi citatio habebit? Citationem, ut aliquando citatus venire & se excusare debeat, subsistere ex §§. *preced.* liquet, sed num in contumaciam in causa principali procedi contra eum, qui non venit, & qua ratione possit altioris est indaginis. Notum enim est contra reum contumacem aliàs procedi posse ante litem contestatam mittendo actorem in bona *L. 21. §. 2. quibus ex causis. L. 8. §. pen. C. de prescript. 30. ann. L. 19. §. 1. de judic. post litem contestatam in causa principali ad definitivam usque L. 13. §. 1. C. de Judic. L. 71. de Jud. Umm. Diss. ad Proc. Jud. 6. §. 3. n. 9. 12. 13. Brunn. ad Wesenb. de Jud. Quest. 19.* Hic autem dicimus, si aliud quippiam non obstet, ejusmodi citatum emanentem ad multam condemnari; Judicem autem in causa principali non pergere posse. Illud demonstratur ex *L. 2. §. 1. Si quis in jus voc. Verb. multa pro jurisdictione Judicis damnabitur*
Wurmf.

An in contumaciam procedi possit?

Wurms. *Lib. 1. Obs. 3. n. 1.* Hoc autem inde apparet, quod antè de legitima Judicis potestate constare debeat, quàm ille jure in causa procedere & sententiam dicere valeat. Nam tota cognitionis vis atque effectus dependet à justo judicis imperio. In eo enim situm est omne sententiæ ac judicati fundamentum *L. 1. 3. C. de jurisd. omn. judic.* Bald. *ad rubr. C. Si à non comp. Jud.* Gail. *Lib. 1. Obs. 52. n. 9.* Quomodo igitur processus ac sententia in causa principali valere possent, si fundamentum ejus non appareret. Marant. *in Spec. aur. p. 6. Tit. de Sentent. n. 58.* Egregiè Castrensis *ad L. 5. ff. de jud.* inquit: *Talis Judex procedere potest contra citatum, ad multam, super negotio principali non potest; & si contra facit, non valeret processus, & quandocumq; apparebit de non Jurisdictione, irritabitur processus.* Marant. *in Spec. p. 6. Tit. de Except. n. 2.* Wurms. *Lib. 1. Obs. 3. n. 2.* Godofr. *ad d. L. 5. Lit. I.*

§. VIII. Hinc in aprico est, si judex in causa processerit & postea appareat incompetentem fuisse, sententiam totumque processum esse nullum & non magis valere, quàm sententiam à privato latam *L. 1. §. 2. quod quisque jur. L. 1. C. de pedan. jud.* Gail. *Lib. 1. Obs. 123. n. 2. supr. cap. 3. §. 2. seq.* Castrens. *d. loc.* Cum enim citatio sit de substantia processûs, ut nullo modo omitti possit, idem autem sit non fieri, vel fieri quidem, sed non jure, & citatio ab incompetente judice facta perinde habeatur, ac si non facta esset, vel ex eo constat, quicquid post ejusmodi nulliter factam citationem à judice pronunciatum est, esse nullum. Durand. *in Spec. Lib. 2. p. 1. n. 19.* Vant. *d. tr. tit. 12. n. 22 ibiq; DD.* Reliquum igitur est ad multam agi posse, si judicis citantis jurisdictio sit dubia & citatus non comparuerit, non autem in contumaciam

Citatus non comparens puniri potest?

procedi posse in causa principali, aliàs totum proces-
sum esse nullum, si postea incompetencia adfuisse do-
ceri possit. Pacian. *de probat. Lib. 1. c. 58. n. 23.* Castrens.
ad L. 2. Si quis in jus voc. n. 10. Tholos. *in Synt. Jur. Univ. Lib.*
47. cap. 3. n. 4.

An Ju-
dex, cujus
Jurisdi-
ctio dubia
est, in cau-
sa princi-
pali per-
gere pos-
sit?

§. IX. Quid autem, si Judex de cujus jurisdic-
tione dubitatur, in causa principali processerit & appa-
reat postea, eum judicem competentem fuisse, an quasi
ex postfacto sententia, totusque processus valet? Vi-
detur quidem nihil valere, etsi Judex competens sit,
cum ante causa fori competentis ritè decidi debuerit,
quàm principalis, & sententia vitio non careat, quæ
non observato Juris ordine est lata *L. 4. C. de Sent. & in-
terloc. L. 1. C. de Except. rei jud.* Unde est, quòd exceptio
fori omnium primò sit opponenda *L. ult. C. de Except.*
ne quis videatur in Judicem consensisse *Mynsing. Cent 4.*
Obs. 27. & jurisdictionem prorogasse, modò aliàs ju-
risdictio sit prorogabilis, uti loqui solent, *Brunn. ad d.*
L. fin. C. n. 4. quæ prius terminari debet quæstio, quàm
ipsum negotium principale *arg. L. 16. C. de judic.* *Zang.*
de Except. p. 2. c. 1. n. 4. *Ferrar. pract. form. declin. Jurisd.*
Gloss. 3. num. 1. *Hartm. Hartman. Tit. 9. Obs. 1. §. 1.* *Ma-*
rant. all. Tr. p. 4. Distinct. 20. num. 17. & p. 6. de Except.
num. 1.

Responsio
ad Quæ-
stionem §.
preced.

§. X. Verùm secundum tradita supr. in §. 5. ci-
tatus impunè emanet, si notoria sit Judicis incompe-
tentia *arg. L. 3. de Jud.* Si verò dubia, tunc distingvi-
mus: aut enim citatus comparet, aut non; Si compa-
ret reus privilegiumque suum, cur Judex sit incom-
petens, alleget, tum ei probatio injungitur, quâ per-
actâ, causaque cognita Judex ferre sententiam solet,
quâ, si Judex se, non obstante exceptione rei, pronun-
ciave-

ciaverit competentem, reus appellare debet, aliàs in illum judicem saltem consensisse videtur, quia sententiam fieri rem judicatam passus est, & sic in causa principali continuare potest Judex. Objici quidem posset (1.) Judicem hunc fuisse judicem in propria causa, quoniam se competentem statuit. (2.) Sententiam ejus non posse fieri rem judicatam, quia est nulla, si postea appareat, judicem revera fuisse incompetentem. Sed quoad primum respondemus, quando Judex, qui citavit, Jurisdictionem planè non habet, & sic ipsi Jurisdictio omnis disputatur, eum non posse judicare, an sua contra reum sit Jurisdictio, quia planè nullam habet Berous *ad cap. super Literis 9. num. 82. 83.* Zang. *de Except. P. 2. c. 1. n. 46.* Sed quando ipsi competit Jurisdictio & dubitatur, an illa ad hanc vel illam personam sit extendenda, aut an ea persona exempta sit, partibus eà dere disputantibus, vel reo ipso Judici ex officio agenti exceptionem incompetentiæ opponente, ipse omnino pronunciare potest *L. 2. § 1. L. 5. de Judic. L. 2. pr. Si quis in jus voc. nec sibi, sed officio publico, & quasi in alieno negotio jus dicere videtur Gail Lib. 1. O. 34. 39. n. 2. H. Hartm. Tit. 9. Obs. 1. Mynsing. Cent 3. § 35. Ferrar. in Pract. form. decl. Jurisd. n. 14. p. 74. Cujac. ad Edict. Paul. Lib. 1. L. 2. Si quis in jus voc. p. m. 11.* Et quia per eam sententiam tale infertur præjudicium, quod per appellationem corrigi potest, ab ea appellare potuit ac debuit reus, cū vim definitivæ sententiæ habeat *c. 34. X. de rescript. Panorm. in cap. super eo. X. de appell. Menoch. rem. adip. poss. 4. n. 822. Myns. Cent. 10. O. 88.* Melius tamē faciet Judex ad omnem evitandam suspensionem, si acta, prout frequentius id fieri assolet, ad facultatem Juridicā transmittat, ut de ea controversia judicetur. Secus

*Objectiones,**Resp.*

autem est, si super Exceptione judicis suspecti cognoscendum: nam tum Judex, cui ea exceptio objicitur, cognoscere planè non potest, quia etiam in hoc puncto suspectus haberetur. Gail. *Lib. 1. Obs. 34. n. 6.* Unde vel collegium, vel alius pronunciare debet, vel acta erunt transmittenda Conf. Godofr. *ad d. L. 2. §. 1. Si quis in jus voc. Lit. f. & Gloss. ad d. L. Lit. E.* Quoad alterum dubiū regerim, eam sententiam, quā se competentem, cum tamen competens non sit, pronunciat, licet nulla esse possit, tum saltem non posse in rem judicatam transire, si condemnatus non consenserit; dum enim prorogari Jurisdictio potest, & reus non appellat, saltem prorogasse post sententiam, cui acquievit, Jurisdictionem Judicis censetur. Sed hāc ratione quilibet Judex se judicem competentem statuere & sibi Jurisdictionem tribuere eamque acquirere possit? At verò supponimus primum ejusmodi Judicis Jurisdictionem generaliter aliās esse fundatam, & pro ea praesumendam esse; deinde id saltem sequeretur, quòd Judex Jurisdictionem in reum, qui aliās ipsi non est subjectus, consentientem impetrare possit, quod non absurdum est. Nam tertio hanc sententiam non nocere, uti nullam inter alios rem actam, *L. 63. de re judic.* per se patet.

Citato §. XI. Sed si dubia existente Jurisdictione reus
causam non compareat, literis verò incompetentiam allegaverit, tutius est, ut Judex inquirat in primis in privilegium vel causam, propter quam citatus se non jure
absentiae scribebat, legum vel causam, propter quam citatus se non jure
Judex de vocatum esse autumat, an sit & valeat? Nam aliās si
eā co- contra emanentem & se excusantem per literas, procedatur, quandocumque apparuerit, Judicem fuisse incompetentem, nec multa, nedum processus vel sententia

tentia in contumaciam valebunt, quod disertissime textus expressus in L. 2. §. 1. *Si quis in jus voc. docet*, cujus verba sunt: *Si quis in jus vocatus non ierit, ex causâ à competenti iudice multâ pro Jurisdictione Judicis damnabitur.* Add. L. 1. C. *Si à non compet. Jud. L. 1. §. pen. quæ sent. sin. app. Vant. de Nullit. tit. 9. n. 4. Dec. Conf. 520. n. 12. Alexand. Vol. 2. Conf. 77. n. 9. 11.* Et ejusmodi nullitas per 30. annos oppugnari potest, L. 3. C. *de Prescript. 30. ann. Gail. Lib. 1. Observ. 128. num. 8.* Etsi enim nullitatis remedium cum appellatione conjungendum, quoniam tamen hæc nullitas in persona judicis est, & ita insanabilis vocatur, ideò ejus vitiū per 30. annos proponi poterit. Brunnem. *in Process. Civ. cap. 28. §. 108. 109.* ut adeò maximè intersit Judicis cognoscere, an respectu ejus, qui non compareret, causam tamen excusationis significat, Judex competens sit vel non? Si enim ille, qui præsens fuit, allegasset incompetentiæ exceptionem, eamq; Judex injustè rejecisset, sententiam hanc injustâ vel nullam impugnare potuisset, multò magis ille, qui se, cur comparere non possit, excusavit, causâ hæc rejectâ remedium nullitatis habebit. Proinde si quis incompetentem Judicem se deprehenderit, præstabit ab ulteriori cognitione in causa desistere, quàm nulliter agere.

§. XII. Quòd si autem viderit exceptionem fori non tanti esse, ut attendi debeat, poterit in contumaciam in causa fori procedere atqve se competentem esse pronunciare, quo facto ulterius in causa principali ad litis contestationem reliquasque judicii partes, ipsamque adeò sententiam in contumaciam procedere. Ordin. Cam. p. 23. Tit. 15. §. 7. & Tit. 43. §. 4. Gail. Lib. 1. Obs. 80. n. 2 seqq. reumq; vel condemnare vel absol-

*Judex
causâ co-
gnitâ se
competen-
tem pro-
nunciare
potest.*

solvere valebit. *L. properandum 13. §. 2. C. de jud. Gail. lib. 1. Obs. 60. n. 6.* Nam exceptionibus dilatoriis rejectis, reus citatus si emanat, lis negativè censetur contestata *Brunn. ad L. 13. §. 2. C. de jud.* ut propterea ad sententiam definitivam ordine procedatur. Sed num reus ad singulos actus citari debet? Nam potest quis esse contumax in unâ judicii parte, nec præsumenda contumacia in omnibus partibus, & quia Judex causa cognita, perinde ac si præsens reus esset, procedere debet *Mev. part. 5. Dec. 181. Müller. Resol. March. 119.* ac aliàs reus regulariter ad quoslibet actus citandus est, etiam hoc casu ad singulos actus utiqve citatio fieri debet, cum se defendere possit, quod ipsi non denegandum, maximè si pœnam contumaciæ solvere velit; si autem non citetur, non potest scire, an contra ipsum agatur. Resp. breviter: Quando reus in unâ vel alterâ judicii parte contumaciter emanat ac Judex in istâ parte in contumaciam ejus processit, ad reliquos actus tamen reus citandus erit: sed si ad totam causam citatus verè contumax fuerit, & lis in contumaciam ejus cœpta sit, frustrâ is contumax amplius citatur ad reliquos actus & hinc ex una parte procedi potest *L. 13. §. 2. C. de Judic. ib. ex una parte & ib. etiam contra absentem. conf. Gail. Lib. 1. Obs. 80. n. 4. seqq. Dn. Brunnem. in Proc. Civ. cap. 4. n. 7. Scaccia de Judic. L. 1. c. 88. n. 13. & cap. 96. n. 20. Dn. D. Urfin. de Process. Unilater. cap. 2.*

Objectiones cum responsionibus.

§. XIII. Graviter verò obstat, quòd nec sic satisfactò Judex in contumaciam procedere possit; Si enim, quandocunq; appareat Judicem fuisse incompetentem, nec mûlta nec processus tenebit, utiq; impunè reus aspernari eo casu citationem potuit, cum
fatis

satis tutus sit, si de sua exemptione sit certus, quicquid etiam Judex ille judicaverit: Contra *in d. L. 5. de Jud.* habetur, reum venire suumque privilegium allegare debere. Sed Resp: Judicem competentem eum multâ damnaturum esse, quòd vocatus non comparuerit, & privilegiû suum allegaverit, ut in terminis decidit *d. L. 2. §. 1. si quis in jus. ibi ex causa à competenti Judice multâ pro Jurisdictione Judicis damnabitur*: incompetens ergò repertus non potest condemnare reum. Per cõpetentem autem Judicem intelligimus eum, qui citavit, quia hujus est cognoscere, an sua sit Jurisdictio *d. L. 2. §. 1. Mev. p. 4. D. 327.* & hinc sententiam contra eum, qui intra ejus territorium est, in contumaciam latam executioni quoque dare potest. Dices, contumacem esse, qui suo judici non paret, hunc autem judicem saltem fuisse incompetentem: Resp. agimus de casu dubiæ Jurisdictionis, de quo constitutum, quòd citatus venire debeat *d. L. 2. §. 1.* si non huic legi paret, tanquam contumax puniri, sententiaque contra eum in pœnam, non obstante, quòd Judex ille incompetens esse possit, ferri potest. Quid autem si usque ad sententiam latam intra illud territorium fuerit, postea autem egressus sit, num ea sententia in causa principali in contumaciam lata extra illud territorium valebit? Resp. quod sic, eamque Judex, sub quo degit, in subsidium requisitus exequi debet.

CAP. V.

De

RELIQVIS EFFECTIBUS CITATIONIS JUDICIS INCOMPETENTIS.

E

Ut

*An citatio
J. J. habe-
at effectū
præventi-
onis ?*

UT ad alios effectus citationis deveniamus, nunc ulterius quærimus, an effectus præventionis obtineat, seu an reus, quando ab incompetente Judice est citatus & postea à competente vel alio incompetente citatur, dicere possit, causam jam alio corā Judice motam, & sic Judicem posteriorem præventū esse? Aliàs enim satis notum est, litem ibi esse finendam, ubi ea est cæpta *L. 30. L. 7. de Jud. L. ult. C. de in jus voc. L. 4. C. de Jurisd.* & sic, ubi circa eandem causam duo Judices concurrunt competentes, coram eo, ubi judicium cœptum, pergendum erit. Verùm hîc, cum Judex incompetens pro privato fit habendus, ejusque citatio non facta censeatur, effectus præventionis per ejusmodi citationem induci non potuit. *Carpzov. P. 1. Const. 7. Def. 21. n. 5. Zang. de Except. p. 2. c. 3. n. 15. seqq. Steph. de Jurisd. lib. 1. c. 26. n. 19. Cothman. Vol. 3. Resp. 33. n. 60.* Nec hic distingvendum, utrūm citatio Judicis incompetentis sit extra vel intra territorium, facta: utrobiq; enim præventio locum non habet, nec de illo casu dubitari potest; hoc autem inde patet, quia sententia judicis incompetentis, licet reus sit intra ejus territorium, Judici competenti tanquam tertio obesse non potest, vid. *supr. Cap. 4. §. 10.*

*An citatio
J. J. habe-
at effectū
litis pen-
dentia?*

§. II. Non multūm ab it à præventionē litis pendentia, quā lis dicitur inchoata, quod fit, ex quo citatio est insinuata *Clem. ult. ut lit. pend. nih. inn. Matth. de Afflict. Dec. 220. num. 13. Mynsing. 4. Obs. 26.* Cæterūm ubi præventio, ibi quoq; litis pendentia est; non autem contrā, cum si unus tantūm sit Judex competens, litis pendentia post cœptum judicium fit, præventionis autem requisita non adsint. Quod verum est

est ratione rei, nam ratione actoris seu potius Judicis ac Jurisdictionis lis per aditionem Judicis & petitionem citationis, licet ea nondum subsēcuta sit, dicitur pendere. Scacc. *de Judic. L. 1. c. 64. n. 11.* Umm. *Disp. ad Proc. VI. n. 23.* Frantzk. *tit. de Jud. n. 51.* Hill. *ad Donell. lib. 17. c. 18. lit. C.* Quod iterum in utroq; casu *Cap 3. & 4.* coincidit, aut enim vel reperitur Judex incompetens, & sic lis non est facta pendens, aut exceptio incompetentiæ rejicitur, & sic nunquam fuit incompetens.

§. III. Quando igitur Judex incompetens citat, inde non nascitur effectus præventionis, sed paululum mutatâ quæstione, si duo fuerint Judices in eadem causa competentes, uti in Imperio nostro Camera Imperii & Aulicum Judicium. *Illustr. Coccej. in Jur. publ. Prud. c. 32. §. 2.* vel in casu miserabilium personarum, Judex domicilii & Imperator *L. un. C. qv Imper. inter pupil.* & unus jam citaverit, alter autem postea ad huc citet, quid juris erit? Patet primò posteriorem esse revera incompetentem factum, exceptione præventionis obstante, cum hujus potestas cesset, cœpto jam apud primum judicio. Deinde quoque sequitur, ipsum citare non posse, cum hujus exercitium sit præoccupatum ab eo, qui concurrentem Jurisdictionem habet, & sic quasi Jurisdictione privatus est *Carpzov. Lib. 2. Resp. 46. n. 91.* Porrò nec citatio posterioris valebit, etsi citatus consentiat, quia actor elegit judicem & ille in præjudicium judicis consilium suum mutare non potest, sed apud illum Judicem causa finienda erit maxime hodie, cum Jurisdictio sit patrimonialis & ita judici utilis. Si verò non sciverit, se præventum esse, & aliquem citaverit, num reus videtur extra territorium citatus, ut impunè citationi

*Quando
duo sunt
Judices
competentes
& unus
citavit,
alter est
præventus.*

*Reus exceptionem
prævent.
allegare
debet.*

non parere possit *L. f. de Jurisd.* an autem intra territorium, ad hunc effectum, ut venire suamque exceptionem opponere debeat? Et facile deciditur, quia utriusque Judicis concurrentis est fundata Jurisdictio, deinde Judex præventus scire non potuit, alterum Judicem jam citasse, & porro reus tantum ex speciali causa præventionis eximitur atque hoc impedimentum tantum temporarium & in una causa (privilegii autem aliàs impedimentum perpetuum) est, citatus tenetur comparere & exceptionem præventionis opponere, quo facto ab instantia judicis præventi absolvendus, atque ad Judicem, coram quo lis pendet, mittendus est. *Gastel. in Spec. Jur. Univ. cap. 26. n. 28. seqv. Zang. de Except. p. 2. c. 13. n. 3.*

Potest aliquis contumax esse adversus duos judices.

§. IV. Sequitur ergo, si non venerit, & exceptione præventionis usus sit, contra eum procedi posse in contumaciam *supr. cap. 4. §. 6. seq.* quod secus esset, si notoria judicis citantis esset incompetencia. *Marant. in Spec. aur. p. 6. m. 1. n. 39. & m. 3. n. 9.* ubi aliquot viginti pœnas contumaciæ recenset. Unde obiter addo reū, si coram primo judice contumax fuerit, litis pendentiam, quando postea citatur à secundo judice, allegare non posse, ratio est, quod ille beneficii *L. 30. de Jud.* sit incapax, qui cōtra LL. judici non paruit. *Marant. in Spec. aur. p. 6. m. 2. n. 26. Farinac. Quest. Crim. 7. n. 55.* Si verò primo & secundo Judice citante contumaciter emanerit, uterque judex mulctare potest, si non notoria sit incompetencia, licet enim in causa principali pergere uterque judex non potuerit, aut sententiæ duæ in eadem causa ferri queant, tamen duplex pœna, quia uterque Judex contemptus est, irrogari potest, quod etiam obtinet, si quis criminaliter fuerit conventus, licet

licet ratione delicti ipsius unâ tantum pœnâ affici debeat. Marant. p. 6. Tit. de Inqvis. n. 98.

§. V. Intricata ac difficilis est quæstio, an citatio præscriptionem interrumpat, quando ea à competente est facta? Et alii distinguunt inter citationem judicialem, quæ fit prævia libelli oblatione ad causam in judicio ventilandam, & extrajudicialem zur Verhör der Sachen / & tum illam, non hanc, interrumpere præscriptionem ajunt. Carpz. in Jurispr. For. Part. 2. C. 7. D. 5. Alii secundum Jus Civile vetus distinguunt inter usucapionem rerum mobilium & immobilium & præscriptionem. Brunn. ad Wesenb. de Usurp. & Usucap. Qv. 40. Alii omnem præscriptionem citatione legitimè insinuata, & denunciatione testatò factâ interrumpi statuunt per L. 2. C. de ann. except. Wesenb. in Paratit. de Usurp. & Usucap. in fin. ibiq; Hahn. Strauch. ad Jus Justin. Disf. 24. §. 4. Lauterb. in Comp. Jur. de Usurp. & Usucap. p. 575. in fin. Sed rectè asseritur, Jure Civ. distingvendum esse inter Usucapionem & distinctam ab eâ præscriptionem. Conf. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 43. §. 5. Nulla usucapio nec per citationem, nec per litis contestationem interrumpitur, quia hæc tantum malam fidem inducunt, quæ Jure Civili, etsi supervenerit, usucapionem non interrumpit, sed tantum amissio possessionis interrumpit usucapionem eò jure. L. 9. §. 6. ad exhib. L. 2. pro don. L. 2. §. fin. pro emt. quando verò actor vicit, tum retrò omnia resolvuntur L. 18. 20. de R. V. & hinc omnes fructus post malam fidem perceptos & percipiendos restituere victus debet. L. 22. C. de R. V. Sed præscriptio citatione privataque denunciatione interrumpitur, modò litis contestatio secuta fuerit, ne aliàs videri posset, ab in-

Ancitatio
præscri-
ptionem
inter-
rumpat ?

terpellatione recessum esse. *L. 32. §. 1. de Usur. & tum litis contestatio retro à citatione & denunciacione computatur. L. 7. §. 5. C. de prescript. 30. ann. L. 2. 10. de prescr. long. temp. L. 26. C. de R. V.* quia tum præscribitur actioni, quando quis jugiter siluit, hoc autem ille non fecit, qui aliquem, ut debitum solvat interpellavit, ac solutione non secutâ, Judicis officium imploravit, citationem impetravit ac litem prosecutus est. Hinc est, quod interruptio Citationi adscribatur, cum ad eam litis contestatio retrahatur. Sed si litis contestatio ratione interrumpendæ præscriptionis retrahitur ad citationem, num id etiam ratione Usucapionis, statuendum, maxime cum interpellatus etiam pro malæ fidei possessore habeatur ex tempore citationis? Resp: Jure Civili mala fides superveniens usucapioni non nocebat, sed tantum interruptio possessionis; in eo tamen convenit cum præscriptione, quòd quando actor in judicio vincit, omnia retro resolvantur, ex quo interpellat⁹ & lis est contestata; Verùm in præscriptione interrumpenda sola citatio, quæ malam fidem induxit, sufficit. Hodie autem cum mala fides superveniens etiam usucapioni noceat, etiam citatio nocebit, si litis contestatio fuerit secuta, ne actor videatur ab interpellatione recessisse. *d. L. 32. de Usur.* Quid igitur statuendum de citatione Judicis incompetentis? Resp: quia privata interpellatio subsequutâ litis contestatione interrumpit præscriptionem, *L. 10. C. de prescr. long. temp.* etiam citatio ab incompetente Judice facta interrumpet, cum saltem sit instar privatæ interpellationis. Id quidem negat Bachov. ad Papon. *arrest. lib. 12. tit. 3. arr. 25.* ac citationem ritè factam ad interruptionem requirit Gail. *Lib. 1. Obs. 74. n. 21.* & hanc J. J. citationem ut nullam rejicit. *Disf. quoq; Zœf. ad ff. de usurp & Usuc.*

*Quid de
citatione
J. J. hoc
in casu
statuen-
dum?*

Usuc. n. 70. ex ea ratione, quòd citatio ab incòpetente Judice facta sit instar nudæ denunciationis, quæ ipsi ad interruptionem non sufficiens videtur, & ad confirmandam sententiam suam allegat *L. pen. C. Ne de stat. def.* ubi asseritur, quòd status quæstio apud incompetentem Judicem mota præscriptionem non interrumpat. Majus autem præsidium haberi ex eo posse videtur, quòd in multis textibus interruptio præscriptionis non citationi ritè factæ, sed litis contestationi adscribatur. Verùm firma adhuc nostra manet sententia, citationem ab incompetente Judice factam saltem habendam esse pro privatâ interpellatione, & sic interrompere quoq; non tantum Jure Can. prout consentiunt, sed etiam Jure Civ. præscriptionem Papon. *in Arrest. Lib. 12. Tit. 1. arr. 25.* cum non continuo ille dicatur siluisse, qui Judicem etiam incompetentem adivit vel extrajudicialiter aliquem interpellavit ac postea litem statim movit, ex quo jam satis refutata esse videtur cæssii ratio. Ad *L. pen.* oppositam respondemus, quoniam status quæstio per quinquennium præscribitur, & illud quinquennium in *d. L. pen.* nulla prorsus citatione vel interpellatione interruptum, sed à tempore mortis continuum fuit, vid. *L. 6. C. eod.* hinc præscriptio absoluta fuit. Quoad tertium repetendum est, quod supra dictum fuit, extrajudicialem interpellationem & citationem interrompere præscriptionem, modò litis contestatio fuerit secuta, nam ea secuta retrahitur *L. 10 C. de præscr. long temp.* Si autem non sequatur, id tandem operatur, ut videatur ab interpellatione recessisse *L. 32. §. 1. de Usur.*

§. VI. Quæri potest an Citatio ab incompetente Judice facta actiones perpetuet? Quædam enim actiones sunt, quæ exiguo temporis spatio circumscribuntur, *An citatio J. J. actiones perpetuet?*

tur, aliæ quidem perpetuæ sunt, si tamen in iudicium semel deductæ, hæ & omnes ad 40. annos perpetuari dicuntur §. 1. *f. de perp. & temp. act. L. 26. ff. de O. & Act. L. fin. C. de præscript. 30. ann.* Hinc decidendum, num per ejusmodi citationem J. J. actio in iudicium deducta dicatur. Verū tantū abest, ut Citatio incompetentis Judicis perpetuet actiones, ut ne quidē citatio iusta à J. J. competente emissa hunc effectum habeat. Meier. *in Coll. f. Arg. de in jus voc. §. 25.* Hahn. *ad Wesenb. cod. tit. num. 13.* verb: *Jure præsertim Pontificio & c.* Imperator enim in §. 1. *de perp. & temp. act.* statuit actiones, si fuerint contestatæ, perpetuari. Add. *L. 1. §. 1. C. de ann except. ibi: quæ in iudicium deductæ sunt. L. 26. de Obl. & Act.* Quando autem citatus saltem fuit reus, nec actio contestata, nec in iudicium deducta est: citatio quidem est initium actionis instituendæ & iudicii ratione iudicis, voce iudicii latè accepta, non autem exordium litis C. J. A. *dict. loc. §. 28.* Obrecht. *de Lit. Cont. cap. 1. §. 8.* Nec obstat quod in *preced. §.* dictum fuit, præscriptionem actionum per citationem interrumpi ac sic continuari. *L. 3. 7. C. de præscript. 30. ann.* Nam id non soli citationi tribuimus, sed requisivimus, litis contestationem sequi debere, ne videatur à lite & interpellatione recessisse aliquis. Deinde alia quæstio est, an actio liberetur à præscriptione, alia an perpetuetur? Illud quando fit, ordinarium tempus nondum ritè lapsum esse dicitur: Quando autem perpetuatur actio, tum actio, ex quo instituta est, ad 40. annos extenditur ac producitur. Disf. *Wesenb. in Paratit. de in jus voc. n. 13.* qui fortassè Jure Can. per citationem perpetuari actiones dubitanter asserit. Verū præterquam quod in dubio inter Jus Civ. & Can. differentia non sit statuenda
arg.

arg. c. 1. de Nov. op. Nunc. Hunn. in Colleg. Jur. Can. Disp. 1. §. 17. allegata ab Hahn. d. l. c. 20. X. de Off. & pot. jud. del. & Clem. 2. ut lit. pend. de hoc casu non loquuntur. Et ratio, cur actiones in judiciū deductæ perpetuentur, est, quod per litis contestationem quasi contrahatur, quod non fit per citationem, ergo ibi ad hæredes quoque transeunt, perinde ut actio ex contractu L. 87. 139. de R. I. L. 3. §. 11. de pec.

§. VII. Cum igitur ne justa & competentis judicis citatio actiones perpetuet, multominus citatio ab incompetente iudice emissã perpetuabit. Coercenda tamen erit malitia adversarii, si ipsius dolo & tergiversatione contigerit, quo minus aliàs in foro competente ad litis contestationem perveniri potuerit, cum reus citatus animadvertens paululum temporis actionis intentandæ superesse, se sistere noluerit, vel propterea fictam aliquam causam, quo minus venire potuerit, allegare soleat.

*Malitia
rei tergi-
versantis
punienda.*

§. VIII. Ulterius constat, lite pendente nihil innovandum esse *tot. tit. X. ut lit. pend.* litem autem incipere pendere, ex quo citatio facta & reo insinuata est, probat Ziegler. ad Lancell *Instit. Jur. Can. lib. 3. Tit. 14. §. 1. verb: Citatio emanarit. Wurm. Tit. 12. Observ. 9.* quod omnino verum est, si aliquis rite fuerit citatus, tū enim omnia in statu quo, uti loqui solēt, sūt relinqvenda; contra si quid factum fuerit, id omne in pristinum statū erit restituendū. Lancell. *de Attent. p. 3 c. 26. n. 27. seq. Obrecht. de Jurisd. Lib. 3 c. 14. n. 9. Ferrar. in Pract. form. Resp. rei conv. vers. exceptionem n. 2. Zœs. ad Decret. ut lit. pend. n. 3.* Cujus rei hæc est ratio, quod nihil in actoris, qui jus vel rem suam persequitur, præjudicium fieri debeat. Lancell. *d. tr. p. 2. c. 15. n. 59. & c. 17. n. 46.* & hinc quando actus alicujus in præjudicium partis non

*An post
Citationē
f. f. at-
tentata
fiant?*

F

tendit,

tendit, nec attentatum est nec revocari debet. Quando enim actor per sententiam obtinet, tum omnia aestimantur ex tempore citationis ac interpellationis, quo reus debuisset rem restituere, quod si id fecisset, attentata facta non fuissent; Quonia autem maluit in iudicio vinci ad statum, qui fuit tempore citationis, respici debet. Quod cum ita sit, effectum tamen hunc citationi iudicis incompet. ascribere non possumus, cum illa citatio sit nulla, quod de casu *Capit. 3. extra omne dubium est.* Quamvis autem citatio ab eo iudice esset facta, cujus jurisdictio est fundata, licet per exceptionem competentem privilegii elidi possit, nihilominus multari quidem potest. *Lancell. d. tr. p. 2. c. 4. n. 52.* sed antequam attentatum dici possit, de competentia prius constare debet. Litis quoque pendentiam per citationem Iudicis incompet. non oriri, patet ex *praeced. §. 2.* Sed dices: Si in causa principali contra eundem agi possit per tradita *c. 4. §. 7.* uti, quando non attentata exceptione incompetetiae, se competentem pronunciat, cur non processus attentatorum obtinebit, cum si appareat actorem vincere, res statim ab interpellatione restitui debuerit, ubi nondum attentata erant facta? Sed responsio est in promptu. Nam ratione attentatorum hoc in casu, ubi in contumaciam alicujus proceditur, agi nondum potest, contra quem enim ageretur, cum nemo sit praesens & in iudicio comparuerit? sed in causa principali proceditur. Quando vero vicit actor, tum omnia erunt nulla *Lancell. p. 2. cap. 12. ampl. 17. n. 16.* nec actori, quae interea a reo peracta fuerunt, nocere poterunt, cum alias facillimo negotio cujusque agentis causa reddi possit deterrima. Interim igitur, dum nondum constat de competentia iudicis

dicis, attentatum nec dici nec revocari potest, sed causa principali legitime decisatum sententia executioni datur, & omnia, quæ antè erant attentata à reo contumaci, pro non factis habentur.

§. IX. Est quoque alius effectus citationis factæ, quòd per eam perpetuetur Judicis delegati seu mandatarii jurisdictio, etsi mandans fuerit mortuus, cum aliàs, si nondum res ab eo, cui mandata Jurisdictio, geri cœperit, jurisdictio ejus cesset *L. 6. de Jurisdic. Cœpit autem res geri, ex quo citatio emanavit Cap. gratum. 20. X. de Off. Jud. deleg. Peretz. ad C. de in jus voc. n. 16. seqq. Wurms. Lib. 1. Obs. 13. n. 5.* Verùm hic effectus citationi mandatarii Judicis incompet. adscribi non potest. Nam quoniam, ille qui jurisdictionem mandavit, eam non habuit, non potuit, quod non habuit, alii committere, & proinde ejus, cui ab incompetente Judice mandata est Jurisdictio, citatio nihil operatur, & multò minùs ejus Jurisdictionem, quæ nulla fuit, continuare ac perpetuare poterit.

*An citatio
Jurisdictionem ab
incompetente J.
mandatã
perpetuet?*

§. X. Deinde citatio Judicis incompetentis ratione actionis realis rem litigiosam facit. *Nov. 112. c. 1. J. J. vitium* ratione actionis personalis tum saltem rem litigiosam fieri, si contradictio vel litis contestatio secuta sit, asserunt DD. per *L. 2. C. de Litig. Conf. Cap. 3. §. 1.* Quoad citationem verò Judicis incompetentis dicimus, eam in casu *Cap. 3.* vitium litigiosi planè non inducere, quia est nulla: in casu verò *Cap. 4.* si Judex competens fuit pronunciatus, etiam vitium litigiosi hic aderit, & ita eadem ratione in præjudiciũ actoris nihil fieri potuit.

*An citatio
litigiosi
inducat?*

CITATIONE CIVIS, ALIUSVE IN ALIENO TERRITORIO EXISTENTIS.

§. I.

An Judex aliquem ex alieno territorio quandoq; citare possit?

CUm ex hucusq; deductis abundè satis constet, nullum Judicem citare posse intra vel extra territorium, nisi quatenus ille potestatem & Jurisdictionem in reum habet, & tamen contingat, Judicem non esse quidem incompetentem ratione causæ &c. videri tamen ideò incompetentem, quia reus non est præsens, addendum nunc ulterius putamus, quando Judex eum, in quem potestatem habet, sed qui extra fines territorii moratur, citare valeat, & quâ ratione id fieri oporteat, ut ecce si civis in alieno territorio degat, vel, si quis in hoc territorio contraxit aut deliquit, non amplius hîc sit, sed alium in locum se receperit? Hic enim ratione modi citandi videtur esse quasi incompetens, ut de eâ re paucis agendum restet.

Responsio generalis ad quest. §. preced.

Judex domicili civem alium de citare potest.

§. II. Generaliter verò hanc rem ita decidimus, quòd Judex domicili ex omnibus causis absentem citare possit; Judex rei sitæ in realibus: non verò Judex loci contractus vel delicti, quæ singula prolixius aliquanto prosequemur. Et quidem quòd Judicem domicili concernit, indubium est, civem, qui fixam in territorio ejus sedem atq; domiciliū constituit, ei subiectum esse tam quoad personam, quàm quoad bona, quæ ibi habet; Inde in eum hæc durat potestas, etsi absit, cum domicilium retineat. Dn. Coccej. *de Fundat. Jurisd. Tit. 2. §. 2. & Tit. 4. §. 2.* ut adeò coram eo ex omni-

Cap. VI. De Citat. Civis, aliusve in alieno Territ. exist. 45
mnibus causis conveniri possit. Conf. *Cap. 2. §. 4. seq.* Abbas
in cap. fin. X. de for. compet. n. 41. Quod cum ita sit, etiam
absens citari potest seu vocari, ut se sistat juris expe-
riundi causa.

§. III. Quomodo autem citatio fieri debet, cum
ea in alieno territorio, ubi civis existit, insinuari non
possit. Nam citatio est actus judicialis, quod reo impe-
ratur, ut se sistat; nemo vero potest actum judicialem
in alieno territorio, ubi privatus est, expedire. Quam-
vis autem aliqui id per nuncium vel per literas fieri
posse asserant, rectius hoc nobis negandum videtur,
cum executio citationis revera actus sit imperantis & sic
Jurisdictionis & judicialis. Faber. *in C. de Jurisd. Def. 23.*
n. 5. ibiq; DD. qui fieri non potest in alieno loco sine con-
cessione istius loci judicis Clem. 1. §. *Volumus. de for.*
compet. Idem esse existimamus, licet duo territoria
sub uno Principe sita sint, quia etiam sic utriusque terri-
torii Jurisdictiones suis finibus conclusae & distinctae
sunt. Illustr. Dn. Coccej *de Fund. Jurisd. Tit. 4. §. 10.*

§. IV. Hinc fluit Superiorem, cujus Imperium
in omnibus ejus ditionibus est fundatum, posse subdi-
tum ex inferioris sui judicis cujusque loco citare. Mev.
ad Jus Lubec. L. 3. T. 1. a. 7. n. 8. quod planè extra omnem du-
bitationis aleam positum est tamen, quando causa apud Prin-
cipem pendet. Quod si autem causa coram inferiore Judice
esset prius ventilanda, & Princeps ad se illam causam
vocaret, omnino posset quidem adhuc id facere, cum
Jurisdictionem privatimè alii concessisse non videa-
tur, non tamen solet propter beneficium primae in-
stantiae *supr. Cap. 2. §. 10.* Struv. *in Synt. Jur. Civ. Exerc. 5. §. 15.*
Ita etiam Suprema Judicia solent ex inferioribus judi-
ciis citare, quoties coram ipsis causae primò jure tractan-

*Citatio in
alieno ter-
ritorio in-
sinuari non
potest.*

*An supe-
rior ex in-
ferioris
judicis lo-
co citare
possit?*

tur vel per appellationem ad ea devolutæ, quod quotidie fieri videmus. Carpz. *Lib. 3. Respons. 23. n. 6.* Schult. *in addit. ad Modest. Pistor p. 2. Quæst. 53. num. 4.* Nec ambigendum, quin etiam Commissarii constituti possint citare ex alterius Jurisdictione. Ruland. *de Commiss. p. 1. L. 5. c. 3. n. 26.* modò tenorem commissorialis citationi junxerint. Asin. *in prax. Jud. de citat. c. 2. n. 3.* Rul. *d. l. n. 6. 7.* Quando enim causæ tales sunt, quæ coram inferiore agitari non possunt, deficiente illius Jurisdictione merito à superiore, cui subjecti sunt, omnes cives citantur Frantzck. *Lib. 1. Res. 18. n. 26. seq.* ubi citationes per Notarios insinuari solent. Convenientius tamen rationi juris esset, si insinuatio per judicem ordinarium loci fieret. add. Dn. Coccej. *in Jur. publ. Prud. C. 32. n. 47.*

An Camera Imp. citationem in terris Statuum per nuncium insinuare possit?

§. V. Id valdè disceptatur, an Camera Imperii per nuncium insinuare immediatè possit in terris Statuum? Et certum est, Cameram immediatè seu per circulos non posse executionem facere in terris Statuum, sed eam debere committere Magistratui ordinario per *Ord. Cam. p. 3. Tit. 49. §. 1.* Atque citationem esse speciem executionis patet ex Landfried *Tit. Wie die Cammer-Bothen ic.* Sed ab hâc juris publici controversia, cum nostrum non sit tantas componere lites, decidendâ lubet ἀπέχεσθαι.

An Judex rei sitæ absentem citare possit?

§. VI. Accedamus ad eam Quæstionem an Judex rei sitæ, si ratione ejus lis moveatur, absentem a libiqve domicilium habentem citare possit? Certum est, quòd actiones reales in loco rei sitæ institui possint. *L. 38. in f. de Jud. L. f. C. ubi in rem. Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 10. n. 19. seq. Perez. ad C. Tit. de in rem act. n. 1.* Neque id tantum verum est, quando reus in loco rei sitæ re-

tæ reperitur, uti sentiunt Sichard, *in L. ult. C. ubi in rem act.* aliqve apud Brunnem. *ad d. L. C. n. 13.* Hunn. *Colleg. Jur. Can. Diss. 8. §. 115.* sed etiam, quando absens est. Quia enim actiones hæ magis rem sequuntur, quam personam, hinc absens à Judice rei sitæ citari potest iis modis qui infr. §. 10. exponentur Hillig. *ad Don. p. 2. Lib. 17. c. 17. lit. F.* Gail. *Lib. 1. Obs. 37. n. 4.* Quando vero id statuimus, non huc referimus actiones, quæ contra personam dantur, licet per eas res petatur, nam hæ non nisi in loco domicilii, vel contractus intentari possunt, ad quæ loca ritè citandus erit reus. Zang. *de Except. p. 2. c. 1. n. 265. add. §. seq.*

§. VII. Quid aut sentiendum de Judice loci contractus? Eum reum contrahentem, si ibi adhuc sit, citare posse, exinde patet, quòd quilibet, quamdiu in alterio territorio est, ei sit subjectus & ejus civis temporarius. Illustr. Dn. Coccej. *de Fund. §. Tit. 2. §. 11.* five aliàs privilegiatum forum habeat seu non. Carpzov. *Lib. 2. R. 29.* Brunnem. *in Proc. Civ. c. 7. n. 5.* Sed num ille, qui in alterius territorio contraxit, ex loco domicilii citari saltem per subsidium vel alium modum possit, quæritur? Hoc generaliter, si lis eo tempore, quo contrahens adhuc in loco contractus fuit, non sit cœpta, negamus. Quoniam enim nullum aliud jus habet iudex, quam quod tamdiu saltem durat, quo intra ejus fines est, sequitur nulla ratione eum citare posse, non ratione personæ, in quam propter discessum nullum jus habet; nec ratione rei, de qua contractū, cū hic tantū loquamur de actionib⁹ personalib⁹. Sed quid si bona saltē in istius judicis territorio habeat, num jam citare absentem poterit per subsidium ad eum effectum, ut si non venerit, missio in bona ejus fieri

An Judex loci contractus absentem citare possit?

fieri possit? Sed hoc quoque negandum, tum quia iudici loci contractus in absentem nulla potestas est, tum quod de bonis istis non agatur, tum quia, prout eleganter Dn. Coccej. *in d. Disp. de Fund. §. Tit. 4. §. 12.* absurdum hoc colligit, si sufficeret ad fundandam Jurisdictionem alicujus, si bona ibi sint, sequeretur, quod in omnibus locis, etsi ibi non contraxisset, conveniri posset: Supererit igitur tantum locus domicilii, ubi agendum erit.

Materia
§. preced.
continua-
tur.

§. VIII. Atque id, licet ex principiis Juris naturalis clarum sit, Jure tamen Civili & Can. aliud constitutum videtur, scilicet quod, quanquam in loco contractus non reperitur, tamen citari possit si ibi bona habeat siue non, propter eam rationem, quod contrahens videatur in locum contractus consensisse, ut proinde ex consensu praesumpto quoad istum contractum ad illum locum obligetur. Ita *L. 19. §. 2. de Judic.* perspicue loquitur, si reus in loco contractus domicilium non habeat, nec se defendat, quod bona possideri possint. In *Nov. 69. c. 1. §. 2.* etiam manifestò traditur contra absentem procedi posse. Nihil autem clarius dici potest, quam in *Cap. 1. §. contrahentes de foro compet. in sexto* ubi non tantum bona, quae ibi habentur, possideri jubentur, sed etiam, si bona nulla sint, missionem à iudice loci decerni posse, & à iudice, sub quo bona sunt, executioni dari debere statuitur *Zœf. ad Decr. de foro compet. n. 7. Frantzk. de Jud. n. 37.* In praxi autem quod praeced. §. expositum est, observatur, quod absens in loco contractus conveniri & proinde ad eum citari non possit. *Mev. part. 1. Dec. 239. Nicol. ad Procesf. Frid. p. 1. c. 19. n. 14. Zanger. de Except. P. 2. cap. 1. n. 117. 123. seqq.* Dubium quidem de praxi oriri posset, quod hodie vide-

1791

dea-

deamus bona alicujus etiam in iis locis arrestari, ubi nullus contractus est celebratus, & sic quasi per indirectum aliquem citari, ut se sistat & in loco alio respondeat, unde dicere solent, arrestum quoque tribuere forum. Sed tenendum est arresto locum non esse, nisi quasi in subsidium, quando reus in foro competentis facile conveniri non potest; & sic ea propter arrestum decerni solet, ut vel causa ibi decidatur, vel recaveat, quod velit se in foro competentis sistere. *Mev. de arrest. cap. 5. n. 20. & cap. 6. pasf. Dn. Coccej. d. Disput. Tit. 2. §. 12. in fin.* Hinc maxime commendare solent clausulam, qua debitor concedit creditori facultatem bona sua ingrediendi & ipsum detinendi, ubicunque reperitur, nam tum iudex quilibet reum in suo territorio existentem, etsi nec ibi domicilium habeat, nec contraxerit, citare ad causam peragendam valet. *Mev. de Arrest. c. 12. n. 14. Coler. de Proc. exec. p. 2. c. 3. n. 13.*

§. IX. Ut ad finem Disputationis deveniamus, *An Iudex restat, ut videamus, quia ratione delicti concurrunt Iudex domicilii, delicti commissi, & Iudex, ubi reperitur, & quilibet horum reum punire potest, Confer DD. ad tit. de judic. Dn. Coccej in Disp. de Fund. in terr. Tit. 6. DD. ad Tit. C. ubi de Crimin. quis citare possit?* Illud ut notissimum supponimus, reum tantum secundum leges istius loci, in quas aliquid commisit, puniendum esse, non autem secundum leges loci domicilii vel istius, ubi reperitur. Quia enim delictum est transgressio legis, non potest aliorum locorum leges, in quibus non fuit, dici violasse, quia scire non potuit an hoc alibi delictum sit & quæ poena ei imposita *Dn. Coccej. d. Tit. 6. Num ergo aliquis eorum absentem citare potest absque vitio citationis incompetentis Iudicis?*

G

Illud

Illud palam est, reum in istis locis domicilii, delicti & ubi reperitur citari posse, si præsens sit. Jam igitur quando quis in aliquo loco deliquit, ex eo loco à iudice domicilii citari non potest, quia licet quoad personam delinquentis sit iudex competens, non autem hoc casu quoad delictum, quod alibi commisit: Ulterius quando is in loco domicilii est, tum uti ab omni iudice, in cuius territorio degit, citari & condemnari potest, ita nunc etiam à iudice domicilii. Denique quando reus in loco domicilii moratur, an ex eo ad locum delicti à iudice citari poterit? Et certum est olim remittendum fuisse ad locum delicti. *L. 7. §. 4. de accus. L. 7. de Custod. reor. Nov. 134. c. 5. Frantzk. ad ff. de jud. n. 47.* ex quo fortè colligi posset, Jure Civili in loco domicilii reum conveniri non potuisse. Hodie autem cum jurisdictio sit patrimonialis remissiones ejusmodi non sunt necessitatis, sed aliquando per urbanitatem fiunt. *Brunnem. ad Wes. de accusat. Qv 3.* Quare iudex ejus loci eum, qui in ejus territorio deliquit, aliunde citare non potest, sed tum saltem, quando in ejus loco adhuc est. Cæterum cum reum iudex ejus loci, in quo reperitur, ad se citare possit saltem hæc citatio videtur esse incompetentis iudicis, nec enim ibi deliquit nec domicilium habet, ut planè omnis potestas istius iudicis in reum exulare videatur. Sed Jure Gentium delicta à quolibet Magistratu puniri possunt, maxime si sint delicta contra Jus Gentium. Et licet reus opposuisset, se in loco, ubi deliquit, conveniri debere, ipsi tanquam delinquenti hoc beneficium non est concedendum, quod secus est in contractibus. *Conf. Illustr. Dn. Coccej. Disp. de fund. Jurisd. Tit. 4. §. 13.* Hodie iudex loci delicti potest citare reum, si ibi sit & contra

contra eum etiam ex officio inquirere, sed, si vel in loco domicilii vel alibi reperiatur, inde citare non potest, ne quidem, quando bona quædam in loco delicti habet. Add. §. seqq. Nam ratione bonorum non agitur, nec Judicis in absentem amplius est potestas, ut adeo citatio sit facta ab incompetente Judice. Obstare quidem videtur, quod hodie Judex loci delicti soleat persequi fugientem ac absentem per literas, patentes *Stechbriefe* / quibus petitur, ut si reus ibi deprehendatur ad locum delicti remittatur. Sed ad id respondendum est, ex istis literis judicem loci, ubi reus reperitur, non obligatum esse, ut reum remittat, sed tantum eum teneri delinquentem punire aut remittere, quod si vero remiserit, id urbanitatis non necessitatis erit.

§. X. Quia ex præcedentibus patet, judicem posse aliquando absentem citare, de modis citationis *Quibus modis absens citari possit?* dispiciamus. Remedia autem, quibus citatio, quæ extra territorium quasi fieri videtur, executioni dari potest, sunt, quod civis absens vel ad domum vel per edictum, vel per literas subsidiales: reliqui autem, qui revera cives non sunt, posterioribus duobus modis citari debeant. Quando Judex competens ad domum, vel per edictum citat, intra territorium suum jubet, in quo citatio affixa est, & sic omnia convenienter suæ Jurisdictioni agit. Nam quoniam domus sub Judicis citantis potestate sita est, domesticis absentis vel aliis, quos reliquit, citatio insinuatur, vel, si nemo sit cui, insinuari possit, vel viva voce vel, affixa publice ad valvas citatione citatur, ut omnia hæc ad scientis notitiam pervenire possint. Hic Judex terminos suos plane non excedit. Umm. *Disp. ad Proc. Judic. §. n. 64.* Hillig. ad Donell. *Vol. 2. Lib. 23. cap. 2. Lit. E.* Fabrit. ad Mynsing.



fing. *Lib. 2. Obs. 69.* Ita quoque si per edictum vel per
 proclama à Judice in suo territorio affixum civis ab-
 sens citetur, quod omnino tunc faciendum, cum ali-
 us citationis modus vel æquè commodus non super-
 est Gail. *Lib. 1. Obs. 57.* Marant. *in Spec. aur. p. 6. tit. de*
Citat. n. 82. nihil fit extra terminos Jurisdictionis &
 sic Jure fieri potest. *Clem. 1. de Jud. &*, si fiat, est valida
 Gail. *d. Obs. 57. n. 12.* Nam ita ad notitiam citati cita-
 tio pervenire potest, ut ea propter quoque in Came-
 ra Imperii ejusmodi citatio in tribus locis ei loco, ubi
 probabiliter reus esse creditur, vicinis affigi soleat, te-
 ste Gail. *d. Obs. n. 10.* ibiq; Grævæus. Si tamen forte cita-
 tio ad absentem perventura esse dubitetur, per lite-
 ras ipsi citatio contra ipsum emissa significari pote-
 rit, nec hac in re judex suos terminos egreditur, sed
 tantum denunciat, se eum in suo territorio per edi-
 ctum citasse. Coccej. *d. Disp. Tit. 4. n. 10.* Brunnem. *de*
Concurf. Cred. c. 2. §. 1. Freqventer verò solet prius, ubi
 potest, citatio per literas subsidiales vel mutui com-
 passus tentari, ubi Judex competens citationem de-
 cernit ejusque executionem à Judice, sub quo citan-
 dus degit, exigit cum ipse in alio territorio jus impe-
 randi vel imperium exequendi non habeat, qua in re
 meritò cum Ummio *Disp. ad Proc. Jud. 5. n. 6.* dissentit
 Mevius *ad Jus Lubec. Lib. 3. Tit. 1. art. 7. n. 8.* à Brunnem.
ad L. 33. §. 5. C. de Episc. & Cler. n. 21. qui existimat quod
 citatio verbalis in alieno territorio fieri possit, quan-
 do citatus in citantis territorio sortitur forum & uter-
 que locus uni Principi est subjectus, & tamen à seipso
 dissentire videtur in *Proc. Civ. c. 3. n. 15.* Implorat au-
 tem Judex, coram quo lis movetur alterius Judicis of-
 ficiam, ut citatum cogat ad citantem ire aut saltem
 per-

permittat, ei citationem à nuncio infinuari & promittit, se in simili causa paria esse facturum, nec ejus Jurisdictioni quicquam detractum velle. Brunnem. *d. Proc. Civ. d. l. n. 18.* Hahn. ad *Wes. Tit. de in Jus voc. num. 13.* verb: *qva publice.*

§. XI. Illud tamen omittendum non est, quando Judex domicilii vel rei sitæ absentem legitimis modis citavit, [quando citare potest,] quòd in contumaciam contra emanentem agi possit. Judex verò contra absentem, nec citare absentem, nec contra eum agere potest. Judex deniq; loci delicti Jure Civili semper in delictis, quorū pœna relegatione non major est, contra absentem ratione ipsius delicti agere potest. *L. 5. de Pœn. L. 33. §. 2. de Procur.* Si autem relegatione major, non potest in causa principali, bene tamen in contumaciam agere, *L. 10. de publ. jud. ut bona annotentur L. 1. §. 1. de requir. reis & aliquando ei in pœnam contumaciæ auferantur. L. ult. pr. eod. Conf. Ord. Crim. art. 104. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 49. §. 98. Carpzov. in Prax. Crim. Quest. 111.* Quod si autem reus à Judice, sub quo vivit, detineatur vel alias incarceratus sit, jam in contumaciam procedi non potest, aut salva esset restitutio, quia se sistere nō valet, qui necessitate impeditur. Hill. ad Don. *Lib. 23. c. 2. lit. X.* quod exemplo Philippi Magnanimi, Hasforū Landgravii illustratur à Fabric. ad *Myns. Centur. 2. 0. 69.* Aliquando autem licet pœna relegatione major sit, propter criminis atrocitatem & ad deterrendos à delictis homines contra absentes procedi solet, uti in Crimine læsæ Majestatis *Const. ad Reprimendam.* & contra Duellantes in Marchia & terris Serenissimi Electoris Brandenburgici per edictum de Duellis *de Anno 1688. Art. 8.* & tum executio in effigie fieri solet.

An contra citatum, absentem in contumaciam procedi possit?

Magnif. Dn. Petr. Schultz. *Disp. de Comparit. person. in
judic. cap. ult. §. 3.* Multa quidem alia addi possent,
sed quia ita terminos disputationis nimis excedere-
mus, nec tempus nobis superfuit, speciminis autem
cujusdam gratia satis dictum esse videatur hinc fi-
nem imponimus, & ut B. L. errata typographica, uti
p. 9. inf. de *Jurisd. pro si à non comp. jud.* p. 16. de *V. O. pro
d. V. S* p. 26. §. 2. L. 2. §. 1. pro L. 21. p. 28. §. 9. de *exec. rei jud.* pro
de except. rei jud. & similia benevolè corrigat, rogamus.

MANTISSA.

Incidimus haud ita pridem in *Dissert. Juridicam
de Inutilibus Pactorum Juris Rom. divisionibus in foris
Germania, Halæ Saxonum habitam*, in quâ, uti mul-
ta parùm perpensa, offendimus, ita in primis Dispu-
tationi hinc in Viadrinâ nostrâ habitæ, de *Usu & Diffe-
rentia hodierna Pactorum ac Stipulationum*, insultatum
propè vidimus, etsi, quæ contra eam moventur, in
ipsa Disputatione jam exposita ac discussa sint. Duo verò
in primis themata dict. *Disput. de Usu & Different. &c.*
fuere, quibus aliqua opponuntur, ad quæ vel verbo,
Corollarii loco, ex ipsa *Disput.* respondebimus.

Thema I.

Consensus ad permutandum nullam vim obligationemque
producit, quin nec verum pactum est, sed tractatus, nisi
aliud actum appareat. *Vid. d. Disp. de Usu & Differ. &c.
Sect. 1. §. 3. & 6.*

Huic objicitur

I. Partes consensum pacto satis declararunt. *Resp.*
*Non queritur, an consensum declaraverint, sed qualem? Nego-
tium perfectum & obligatorium, an nudos tractatus, saltem
esse velint ac consentiant? prius non presumitur L. 47. de
Oblig. & Action. vid. d. Sect. 1. §. 4.*

II. Ita

II. Ita idem esset in emtione & partes ante solu-
tionem pretii vel traditionem rei pœnitere possent.
*Resp. Re emptâ, non consensum à partib9 saltem est ad emendū
& contrahendum; sed emptum & contractum; quæ qualitas
consensûs ex nomine emtionis liquet. Emtio negotium consensu;
permutatio re perfectum proprietate vocis significat.*

Thema 2.

*Ad stipulationis substantiam Jure Rom. non pertinet, ut
per modum quæstionis fiat.*

Huic opponit

- I. L. 71. Pro Soc. *Resp. Nihil inde in contrarium probatur.*
- II. Debet præcedere rogatio. *Resp. Conceditur hoc totū. Qvis
creditori suo cautionem obtrudat non roganti? Sed an figurâ
quæstionis, & quâ ratione fieri necesse sit vid. d. Disp.
Sect. 2. §. 7.*
- III. Fidejussio non est, si quis instrumento scribat, als
Bürge zu bezahlen/ seu se fidejubere. *Resp. Refellitur ex
§. f. J. de fidejuss.*
- IV. Ita quilibet ferè contractus Jure Rom. dici posset
stipulatio. *Resp. Nihil minus: imo nullus contractus, nisi
qui verbis inter presentes animo stipulandi initus est, sti-
pulatio est. d. Sect. 2. §. 7, 8, II.*
- V. Stipulatio nec post Leg. 10. C. de contrah. stipul. po-
test literis contrahi, nec in L. 57. ff. de Donat. int. conj.
literis contracta fuit. *Resp. Conceditur id quoq, totum d.
Sect. 2. §. 7. Non contrahitur literis, et si literis referatur.*
- VI. In §. 17. de inut. Stipul. haberi est præsumi. *Resp. Et si
id verum esset, quid inde inferri posset?*
- VII. Stipulatio inter absentes contracta est inutilis &
requiritur præsentia L. 14. C. de contrah. Stipul. *Resp.
Conceditur hoc quoq, totum d. Sect. 2. §. II.*
- VIII. Ait, se prævidere, responsum iri ad d. L. 14. quòd
instrumento ibi additum fuerit, præsentis fuisse.
Resp.

Resp. Malè prævidit: quis adeò malè responderet? Responsio est ad objectionem 5, 6, 7.

IX. *Ex malâ hâc prævisione infert, ita errasse Tribonianum in §.12. de inutil. Stipul. & in d. Sect. 2. §.10. contradicere §.11. Resp. Ut malè prævidit, ita non potest non malè inferre.*

Qualia verò sint reliqua, quæ per totam Diss. conscripta sunt, nihil ad nos, obviumque erit Lectori ex ipso aspectu de iis judicare: Hæc saltem contra assertiones quasdam Consectaria subjecimus:

I. *Malè dicitur, solum usum Stipulationis apud Rom. fuisse, ut tractatus inter partes habitos ei includerent, cum & perfectis contractibus aliisque negotiis adhibita stipulatio fuerit.*

II. *Falsum est, in L. 71. pro Socio statui, emptione per stipulationem initâ non dari actionem emti.*

III. *Contradictorium est, Emptionem per stipulationem iniri, nihilque hujus dicitur in d. L. 71.*

IV. *Etsi consensus ad contrahendum, seu tractatus nullam producant actionem, malè tamen inde infertur, nulla pacta nuda actionem producere.*

V. *Negatur, omnia pacta nuda intendere alium contractum vel negotium.*

VI. *Negatur, causam, cur alia negotia ipso jure tollantur, alia ope exceptionis, ullo modo pendere vel à differentia eorum, quæ in jure & judicio sunt, vel à formulâ judici datâ.*

VII. *Nec differentia actionum bonæ fidei & stricti juris pendet à formulâ datâ, sed e contrario, formula à naturâ cujusque actionis.*

VIII. *Differentia denique contractuum nominatorum & innominatorum non à Romanis conficta, sed inter gentes recepta fuit, & non tantùm ipsa differentia, sed etiam effectus pœnitentiæ in contr. innom. accuratissimâ ratione nititur.*

F I N I S.



119 11



Md. M.



Ko 2268

ULB Halle 3
006 698 980




9
K107
ML





EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.





Q. D. B. V!
DISPUTATIO JURIDICA

De
**CITATIONE
JUDICIS INCOM.
PETENTIS,**

Quam
Summi Numinis Auspicio,
CONSENSU

MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS AD VIADRUM ACADEMIA,
PRÆSIDE

DN. JOH. PETRO *Shielen* /
J. U. D. & Profes. Publ, Extraord.!
In Auditorio Fctorum
Ad D. 21 August. A. O. R. MDCXCVII.
publicè ventilandam proponit

AUTOR
JOHANNES FRIDERICUS *Fäger* /
Münchenberg. March.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPORI ZEITLERI.